


DESCRIPTIONIS
 INDIAE OCCIDENTALIS,
 LIBER DECIMUS QUINTUS.
 BRASILIA.

C A P. I.

Brasiliae limites, ejus prima inventio, caeli solique qualitates.



RASILIAE nomine comprehenduntur amplissima provinciae in Continente Australis Americae, qua ortum Solis spectat, juxta oras Oceani Atlantici expansae: Ejus autem limites variè à diversis designantur; Hispani enim (& inter illos *Antonius de Herrera* Cosmographus Regis Hispaniarum) longitudinem illius concludunt, intra vigesimum nonum & trigesimum nonum gradum; computatione graduum longitudinis à Meridiano Toletano in occidentem producta; idque ex pacto inter Castellae & Lusitaniae Reges quondam inito; ita ut linea separationis à Promontorio quod vocant *de Humos* (ad Mare

Septentrionale & secundum gradum latitudinis Septentrionalis sito) per insulam *Buenabrigo* (ad vigesimum quintum gradum latitudinis Australis, Continenti objectam) deducta, ducentas leucas, ubi latissime patet, à Continente Meridionalis Americae praecidat, & Brasiliae provinciis & Portugalliae Regis portioni relinquat.

Portugalli vero producunt limites illius paulo ulterius, eandem lineam separationis per ostium fluminis *Marannon* ab arctoa plaga; ab Australi vero per Fluminis *de la Plata* ingens aëstuarium describentes.

Hujus differentiae causas paulo altius repetens, invenio quidem à Romano Pontifice Alexandro, certos limites Castellae Regibus assignatos, cujus Bulla donationis, ut vocant, ita se habet: Omnes insulas & terras firmas, inventas & inveniendas, detectas & detegendas versus Occidentem & Meridiem, fabricando & construendo, unam lineam à Polo Arctico, scilicet septentrione, ad polum antarcticum, scilicet Meridiem, sive terrae firmae & insulae inventae vel inveniendae sint versus Indiam aut
 40 versus aliam quamcunque partem; quae linea distet à qualibet Insularum quae vulgari-
 50 ter nuncupantur *de los Azores & Cabo Verde* centum leucis versus Occidentem & Meridiem. Itaque omnes insulae & terrae firmae repertae & reperiendae, detectae & detegendae à praefata linea versus Occidentem & Meridiem, quae per alium Regem, aut Principem Christianum non fuerint actualiter possessae, idque ad diem Nativitatis Domini nostri Iesu Christi proxime praeteritum, à quo incipit annus praesens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius, quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos vestros inventae aliqua praedictarum insularum, auctoritate omnipotentis Dei nobis in Beato Petro concessa ac vicariatus Iesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illorum dominiis, civitatibus, castris, locis & villis, juribus & jurisdictionibus ac pertinentiis universis, vobis haeredibusque & successoribus vestris (Castellae & Legionis Regibus) in perpetuum tenore praesentium donamus, concedimus, & assignamus &c. Hanc donationem quum Rex Portugalliae in suum praedictum factam, conquereretur, inter utrumque Regem convenit per legatos, ut linea illa separationis ducentas & septuaginta leucas à constitutis in *Bulla Papali* terminis ad occidentem promoveretur, ultra quam versus occidentem omnes insulae & Continens Castellae Regi cederent, versus Orientem autem Regi Portugalliae; orbe universo
 in

in hunc modum æqualiter inter se diviso; supererat tantum ut Geographi periti, secundum hæc pacta & conventa intra decem menses certos limites utrobique constituerent: verum eousque cunctatum, donec ingens diffidium de *Moluccarum* Insularum possessione inter hos Reges ortum, hanc dimensionem ad amissim suaderet revocare: id, teste *Herrera* anno 1522 quidem tentatum, sed non absolutum, quia Castellanorum & Portugallorum Geographorum principia & dimensiones plurimum inter se discrepabant; Portugalli enim ab Insula *Salis* (quæ insularum capitibus viridis maxime Orientalis) trecentas suas & septuaginta leucas versus occidentem ordiebantur, exiguam jacturam existimantes tot leucas in Continente America amittere, ut easdem rursus ad Orientem lucrarentur & *Moluccas* limitibus suis inclu- 10 derent: Hispani vero contra ab Insula *S. Antonii*, quæ circiter nonaginta leucas magis declinat ad occidentem. Neque de latitudine Continentis Australis America, inter *Portoveyo* ad oram maris Australis, & Promontorium *S. Augustini* ad mare Atlanticum, ubi latissima vulgo æstimatur, melius inter utrosque conveniebat; quum Hispani interstitium illud uno & quinquaginta gradibus, Portugalli quinque & quinquaginta definirent; utrique Regis sui cupiditati obedientes, hi ut *Moluccas* limitibus Regis sui includerent, illi vero, ut Portugalli finibus excluderent. Quid multa? quum inter se convenire atque in unam sententiam descendere nollent, ita discessum est, ut Portugalli lineam separationis per ostium Fluminis *Marannon* ab una, & Æstuarium fluminis *de la Plata* ab altera parte ducendam pertenderent: 20 Castellani autem ab eodem quidem ostio ab una, sed per ostium fluminis *S. Antonii* & *Organa*, ut vocant, ab altera: ita non modo Æstuarium fluminis *de la Plata*, sed & magnam partem Continentis ad sinum usque *S. Vincentii* Portugallis adimerent. Verum hæc lis mox per aliud pactum inter Reges initum procrastinata, tandem autem utroque Regno ad unum Principem devoluto, plane obsolevit. Quæ compendio hic retulimus, quia vulgo minus sunt cognita & à quibusdam scriptoribus longè aliter prodita fuerunt.

Porro hæc Regio, si *Herrerae* credimus, primum auspiciis Regum Catholicorum fuit detecta à *Vincentio Ioannis Pinçono* & mox à *Didaco de Lepe* anno 1500. *Catrabis* autem eodem pene tempore auspiciis Regis Portugalliae ad illam casu delatus (quippe 30 cum classe in Indiam Orientalem contendens & longius in altum provectus ut Guineæ littora vitaret, ad oppositam Australis Americae continentem ventorum violentia & fluctuum impulsu fuit deductus) provinciae *Sanctæ Crucis* nomen imposuit; quod posterior ætas in Brasiliæ etymon vertit, ob rubri illius ligni, toti jam Europæ notissimi copiam atque præstantiam, quæ huic regioni pene singularis.

Licet autem hæc Regio pari pene intervallo ab Æquatore distet versus Polum Antarcticum cum Peruvia, & ab Oceano Atlantico & septentrionali maxima sui parte alluatur, tamen magis æstuat & supra modum humida est crebrisque pluviis & nivibus obnoxia, cælum plerumque nubilum & solum densis lucis silvisque opacum 40 difficulter admittit radios solares, unde & insalubrior esse à multis judicatur, & maximam venenatorum animalium & insectorum nutrit copiam: Alii contra. Regionem imprimis amœnam, cœli admodum jucundam & salubrem tēperiem prædicant, lenibus ab Oceano auris (quas veteres *Tropæos* ventos vocabant) afflantibus, quæ matutinos vapores tempestive discutunt, & serenos reddunt dies, caloremque mitigant.

Solum partim in planiciem sternitur, partim in colles clementer assurgit, non raro & in vastos præruptosque montes attollitur; præpinguis & fertilis glebæ & cum aliorum fructuum, tum Sacchari cannarum imprimis ferax; è cujus proventu Portugalli maximum quæstum faciunt: de cæteris terræ dotibus aut vitis, cœlique bonitate aut inclementia, in descriptione particularium provinciarum postea dicemus: sed recentioris scriptoris Lusitani, iudicium hic præterire non possum, cujus commentarius 50 nuper Anglicè in Anglia prodiit.

Clyma (inquit) Brasiliæ fere est temperatum, aër salubris, ita ut homines hic nonaginta & centum interdum annis vivant; communiter hic neq; æstuat neque friget cælum valde serenat, præsertim noctu; Lunæ autem splendor noxius; crepusculum pene nullum, nam statim cum aurora emergit Sol; eadem vespere ratio. Hyems mense Martio incipit, desinit Augusto; dies noctesque hic pene æquales. Solum autem

autem tristius & uliginosum ob nimiam humiditatem, quæ ipsi accidit à pluviis & fluviiis qui ripas suas interdum egrediuntur: nam hybernis illis mensibus crebro hic pluit; sylvæ ingentes, perpetuoque virentes: Regio montana præsertim qua Oceano alluitur: à *Pernambuco* ad *Spiritus Sancti* præfecturam, rarissima inveniuntur saxa in ulteriori parte integri montes grandibus saxis & silicibus veluti strati. Materiæ ad vestimenta pene est inops, quum solum gossypium ferat, omnium alioqui quæ ad vitam humanam requiruntur opulentissima. Hæc ille.

Quum hujus judicio, satis conveniunt nostrates, qui in *Pernambucensi* præfectura jam sedes figere cœperunt, nam cæli temperiem laudant, neque de immodico æstu
 10 conqueruntur, nisi paucis dietim horis; hybernis autem mensibus hic crebras pluvias & nimbos accidere, & validas quoque, ad oram præsertim, ventorum tempestates. Sed de hisce suis locis dicetur opportunius.

C A P. II.

De Religione, ingenio & moribus Brasiliensium in Communi.

BRASILIANSES Barbari nullum pene habent Religionis sensum, nec de origine aut creatione hujus universi quicquam norunt, de diluvio obscure & fabulosum quiddam recordantur; quippe mortalibus omnibus aqua haustis,
 20 superfuisse unum aliquem cum sua germana, jam uterum ferente, atque ab iis rursus suum genus originem atque incrementum accepisse. Neque Deum ullum noverunt neq; adorant quicquam, unde nec ullum nomen in ipsorum idiomate reperire est. quo Deum exprimas: Tonitru & fulgur vocant *Tupan*, illi se ligones atque agriculturæ scientiam profitentur debere, atque ideo pro numine aliquo agnoscunt: cælum aut inferos post hanc vitam pariter ignorant, licet animas post separationem à corpore superesse credant atque nonnumquam in dæmones converti & ad campos irriguos, variisque arboribus amæne confitos traductas ibidem perpetuo choreas ducere.

Spiritus malignos impense metuunt, quos *Curupira*, *Taguain*, *Pigtangua*, *Machera*,
 30 *Aukanga*, vocant, ita ut interdum imaginario & vano illorum terrore subito exanimentur: nec tamen ullis ceremoniis aut idolis venerantur: quidam nonnunquam stipitibus solo defixis & muneribus quibusdam juxta positos illos nituntur placare: rarius hi spiritus visibilibus inter illos comparent, licet multi fecus prodiderint.

Habent & sagas, quibus tamen vix aliter quam medicis utuntur, & valetudinis recuperandæ gratia valde sunt obnoxii: interdum & inter ipsos reperiuntur homines nequam, qui magicarum quidem artium rudes, sed ludendi & ductandi miserorum animos gnari, insolitis quibusdam corporis jactationibus & gesticulationibus sui admirationem excitant & falsis quibusdam miraculis sibi fidem conciliant: *Caraibas* vocant Barbari: Illi popularibus suis, interdum & integris provinciis, persuadent culturam agrorum penitus omittere, venisse enim tempus, quo tellus omnia sua
 40 sponte ipsis sit productura, ipsæque feræ ultro pabulum ipsis allaturæ; his aut similibus naniis miseros hosce, natura sua plerumque desides, ita infatuant, ut neglecto terræ cultu, sensim com meatu destituantur, præque inedia deficiant, donec *Caraiba* aut solus supersit aut à suis, dolum persentientibus, trucidetur.

Uxores multas assumunt & leves ob causas rursus dimittunt: Adolescentes autem non temere ducunt, antequam hostem aliquem manu ceperint atque occiderint: nec virgines præterquam jam puberes facile cum maribus miscentur: utrique ad illud tempus abstinent vino, quod barbari illi conficiunt è radicibus *Maniot* & *Mayzio*, vocantque suo idiomate *Caou-in*, ut tradit *Lerius*: lecto pensili reticulato, beneque mundo connubia firmantur: Pater aut Socer matrimonio jam consummato,
 50 acuta silice palum ligneum cædit, nepotum procreandorum caudas se hoc factò amputare somniant, atque ex eo sine caudis nasci. Religiosi cujusdam Lusitani fide hæc refero, qui admodum nuper hæc prodidit.

Cibum capiunt noctu atque interdium, neque stata tempora observant, neque in vescendo modum, ubi annona abundat, large, nulla in futurum sollicitudine & ipsi genio indulgent, & vicinis atque amicis impertiunt: liberalitatis laudem impense ambiunt, neque ullum vitium pejus oderunt aut ignominiosius ducunt quam avaritiam,

ritiam, quum deest victus, in ediam & sitim ad miraculum tolerant. Carnibus & piscibus indiscriminatim utuntur, neque ab immundis animantibus, anguibus, bubonibus, gliribus, vermibus atque insectis abhorrent; omnibus fructibus, præterquam quos usus noxios & exitiosos comprobavit, utuntur; nec facile pocula dapibus permiscent, sed post cibum aut aquam aut potionem è variis frugibus & fructibus confectam hauriunt, tanta aviditate, ut non raro ebrii decumbant. Festivis suis diebus, comotationes sine ullo cibi usu, in biduum aut triduum producunt & cantilenis ostiatim oberrantes, vicinos ad symposia sua invitant, ubi saltationibus & potionis illius medicatæ haustibus ita interdum efferantur, ut à rixis ad verbera & pugnas, adulteriaque & alias immunditias devoluantur. Illotis manibus discumbunt humi, & cibum primoribus digitis ori non tam ingerunt quam injiciunt. Retibus ex Gossypio affabre elaboratis, pro lectis utuntur, ea aut sub dio aut sub tectis suis inter duos stipites suspendunt, & accendunt juxta pyram, adversus noxios vapores ex humo ascendentes, quæsito remedio.

Prorsus nudi, fœminæ pariter atque mares incedunt, nullo pudore: corpora autem variis coloribus & pigmentis illinunt, præsertim herbæ cujusdam succo, quo nigredinem sibi conciliant, cui mox lineamenta varia candido colore superinducunt & vestimentorum quoque formas æmulantur. Diademata, coronas, collaria, brachialia atque alia corporis ornamenta ex avium plumis singulari elegantia, artificiose concinnant, quibus immodice delectantur. Capillum capitis solummodo alunt, reliquo corpore evellunt radicibus pilos: viri quidem diversis modis se tondent, nunc in coronam, nunc in aliam formam; idque tanta varietate, ut gentes inter se tonsuræ forma distinguantur; fœminæ vero promittunt comas, nisi quum aut lugent, aut marito peregre profecto, desiderium illius comæ depositione testantur: viri non facile comam alunt, nisi quum alicui aut admodum irati sunt aut infensi. Crinibus sunt ut plurimum nigris lævibus atque depexis. Iam autem nonnulli barbarorum vestibus cæperunt uti, usus magis quam honestatis causa, vel quia à Lusitanis coguntur; nam & neglectim illas ferunt, & levi de causa omittunt rursus.

Tuguria è trabibus atque tignis sibi ædificant & contegunt foliis palmarum, ducentos & nonnumquam trecentos palmos longa & in multas mansiones particulatim distincta potius quam divisa: quibus familiæ non raro quinquaginta, interdum & plures se continent, juxta suum quæque focum cum suis pensilibus lectulis tendentes. In singulis autem ejusmodi domibus, unus è senioribus cæteros moderatur & mane è lectulo suo veluti è suggesto alta voce concionatur, & edicit quæcunq; illo die à singulis agenda sunt. Et postquam surrexerit, eodem modo per viciniam concionabundus discurret; more derivato, ut ipsimet prædicant, ab ave quadam (quæ accipitri haud absimilis videtur,) quam mane cantu suo reliquas aves excitare volunt, & propterea vocant Reginam volucrum.

Fœminæ pariunt humi projectæ; infantem aut pater, aut amicus quidam, quem sibi veluti compatrem delegerint (nam & hanc consuetudinem observant) attollit humo; deinde Pater umbelicum aut dentibus præmordet, aut acuta filice præcidit; deinceps jejunium sibi indicunt, donec vulnus coaluerit, & in octavum, ut plurimum diem: fœminæ statim à partu ad fluvium aut torrentem descendentes, abluunt sese frigida; lactantque infantes suos annum integrum, & interdum diutius, nullum præterea cibum exhibentes: quare supra modum illos diligunt & quocumque incedunt, in reticulo (quod *Tupua* ab ipsis appellatur) supra dorsum pendulos circumgestant: sedulo autem cavent ne ejulentur, ideoque nullatenus eosdem castigant.

Sortilegiis immodice indulgent hæ gentes, gossypinis pannis capita obvelantes & stipites palmis suis contegentes atque fricantes. Beneficia in liberos suos collata longe potiora habent, quam sibi ipsis præstira, ideoque & Patres societatis unice venerantur ob suorum in liberalibus artibus & disciplinis institutionem.

Advenas atque hospites lachrymis excipiunt atque ejulatu, in hunc fere modum: Postquam rectum subjerit hospes & in lectulo pensili confederit, materfamilias, filia & reliquæ domesticæ crinibus solutis se circumfundunt, & manibus hospitem contingentes, planctum suum ejulatu & uberibus lachrymis ordiuntur; flebilique

voce & barbaro carmine, quæcunque illis antequam adveniret, contigerint, quæque ipsi in itinere obvenerint, vera fictaque enarrant: ille silet interea; planctu demum absoluto & detersis lachrymis ad hilaritatem denuo se componunt, salutarant peramice advenam, cibum potumque apponunt & tum demum prolixè causas adventus sui explicantem audiunt. Nihil denique magis ambiunt hæ gentes, quam laudem hospitalitatis, ideoque & peregrinos omnes perhumaniter excipere, alere & munusculis quibusdam demereri satagunt. Quia autem nummis destituuntur, permutatione rerum inter se contrahunt. Potu ut plurimum bene de se meritos remunerant; nam ubi aut ager colendus aut aliud quid operis faciendum, cui pater familias per se non sufficit, potum ante omnia parat, deinde vicinos omnes in auxilium advocat, quibus negare religio est, quumque ad horam decimam matutinam usque laboribus se defatigaverint, domum revertuntur, & reliquum diei consumunt potando, proximis diebus ad eundem modum, donec opus absolverint.

Uxores suas sic satis diligunt hi barbari, neque facile illas verberibus aut alia aliqua injuria afficiunt, nisi forte aliquando nimium poti; verum magnam illarum gerunt curam. unà plerumque prodeunt in publicum, & si in agrum proficiscendum sit, præcedit vir, sequitur uxor, ut, si fera aut hostis aliquis fortè occurrerit, dum vir se defendit, fœminæ tempus largiatur, domum se recipiendi; si vero ex agris domum redeant, præcedit fœmina, ut tanto facilius si quid mali ingruat, domum possit præcurrere: atque ita quidem ruri agunt: in oppidis vero aut pagis, uxores semper præ se agunt, quippe quum supra modum zelosi sint hi barbari, ita commodius illas à sese observari posse haud frustra credunt.

In plangendis defunctis immodici sunt; nam & seipsos affligunt & projiciunt in solum, totasque noctes ejulatus, dies lachrymis & querelis producunt, idque per integrum mensem; tum demum mares capillum radunt, & fœminæ se nigris notis insigniunt, & denique symposio luctui finis imponitur.

Porro licet natura sint melancholici, tamen varios habent ludos, iisque indulgent frequentissimè, à pueris ita instituti: cantilenis & choreis delectantur insanum in modum: habent & suos canendi modos, atque instrumenta, quæ raucum & inconditum sonum edunt.

Arma ipsorum sunt clavæ lignæ, arcus, sagittæque: clavas & arcus affabre concinnant è durissima materie; sagittas è canis; quas aut dentibus ferarum, aut ossiculis aut durissimis stipitibus asperant, ita ut, mirum dictu, thoraces parmulasque è corio penetrent & stipites satis crassos findant: sunt enim jaculatores robusti & imprimis sciti, utpote ab infantia assueti.

Ut breviter absolvam (nam de immanibus eorum moribus, in captivos hostes mactando, devorandoque hic nihil dicam, quæ ab aliis & imprimis *Ioanne Lério* prolixè commemorata sunt) acutè vident hi barbari atque audiunt: lubenter peregrinantur; exiguntque itinerum rationes ad cursum solis, & rarissimè aberrant à via: piscatores sunt seduli, strenui natatores, in mari haud minus quam in fluminibus: Tabacco utuntur frequentissimè, dicerem etiam abutuntur, nisi plerique Europæi jam ipsorum vitium non modo æquarent, sed & multi superarent. Atque hæc quidem omnibus gentibus, quæ hanc Continentis partem incolunt, fere communia sunt: nunc varias nationes, & earum peculiaria prosequemur.

C A P. III.

Diversæ nationes Brasilienses, & earum ingenia atque mores è commentariis nuperi scriptoris Portugalli.

NA T I O N E S quæ Brasiliæ Continentem incolunt, linguis plurimum inter sese discrepant: una tamen inter eas communior censetur, qua vulgo utuntur circiter decem nationes barbarorum, qui juxta littora atq; etiam in mediterraneis degunt: Hanc fere intelligunt Portugalli, nam facilis est, copiosa, neq; insuavis: Portugallorum autè liberi in hisce provinciis nati aut à teneris educati, eam haud secus

callent atque ipsi indigenæ, præsertim in Præfectura *S. Vincentii*: hujus quoque linguæ commercio agere solent Patres Societatis cum hisce populis, sunt enim omnium barbarorum humanissimi & maxime domestici, & jam multis annis amicitiam & pacem colunt cum Portugallis: adeo ut ipsorum opera atque armis cæteras Brasiliæ nationes partim subjugaverint atque tributarios fecerint, partim funditus deleverint, aut lares suos deferere atque in intimas regiones commigrare coegerint. Sed singulatim populos prosequamur.

Petiguarcs. Primi inter illos sunt haud dubio *Petiguares*, qui juxta *Paraibam*, triginta circiter à Pernambuco leucis degunt, & præstantissimum lignum Brasilianum in suis finibus possident; hi (inquit author ille) dudum Gallis amici, eisque foedere atque connubiis juncti fuerunt, usque ad annum 1610 IXXXIV, quo *Paraiba* à *Diego Flores*, Regis Hispaniarum auspiciis fuit capta, Galli pulsi, præsidiumque centum stipendiariorum arcu impositum, præter Portugallos advenas, qui & ipsi inter se cohortem constituerunt duce Fructuoso Barbosa, qui cum *Pernambucensibus* terrestri itinere advolarat, & præcipuum momentum victoriæ attulerat. Magna horum pars hodieque à Portugallis abhorret & levi negotio incitari potest, ut hostilia in illos perpetret, ut Belgæ nostri superioribus annis fuerunt experti.

Viatan. Hisce proximi agebant quos *Viatan* vulgo appellant, natio olim populosa; sed jam radicitus excisa, nam quum amici atque cognati *Petiguarum* essent, Portugalli dolis grassandum rati; eos cæteris barbaris devorandos devoverunt, & inimicitias concitatis, vicinos inter se commiserunt, quumque inedia atque annonæ caritate premerentur, eos in servitutem redigerunt, & onerariis navibus in remotas terras auctos pro mancipiis vendiderunt; denique miseras reliquias, presbyter quidam Lusitanus, magicarum artium, ut creditur, gnarus, variis præstigiis infatuatas *Pernambucum* deduxit in miseram servitutem, ubi sensim interierunt.

Tupinabæ. A flumine, quod vocant *Regale (Rio Real)* ad fines Præfecturæ *Insularum* (vulgo *los Ilheos* incolunt *Tupinabæ*, & ipsi inter se discordes: nam qui circa sinum omnium Sanctorum degunt, juges exercent inimicitias cum iis, qui juxta *Camann* & *Intrare* sedes habent.

Caeræ. *Caeræ*, alia natio barbarorum, accolebant ripas fluminis *S. Francisci*, illorum barbarorum qui *Pernambuco* viciniore incolunt, infensissimi hostes.

Tupinaquini. Ab *Insularum* Præfectura ad Sancti spiritus Præfecturam agunt *Tupinaquini* ex *Pernambucensium* finibus olim ad has maritimas oras profecti, & mirum in modum aucti, nunc vero ad summam paucitatem redacti: omnium barbarorum quondam irreligiosissimi & in erroribus suis pertinacissimi, vindictæ appetentissimi & polygamix imprimis dediti; nunc non pauci Christianam religionem amplexi in ea dicuntur perseverare.

Tupigues. *Tupigua* superioribus cognati possident *Mediterranea*, inde à Præfectura *S. Vincentii* ad *Pernambucum* usque, natio quondam valida, nunc autem Portugallorum sævitia, qui illos in servitutem abripiunt, aut fuga sibi cogunt consulere plurimum imminuta.

Hisce vicini degunt *Apigapitange* & *Mariapigtange*; nec non *Guaracay* sive *Itati*, admodum infesti *Tupinaquinis*.

Tummimivi juxta oppidum *S. spiritus* suas habent sedes, & ipsi *Tupinaquinorum* hostes, verum paucissimi illorum hodie supersunt.

Tamviæ. *Tamviæ* accolebant flumen *Januarii*, à Portugallis postquam ibidem sedes fixere pene ad internecionem deleti, ita ut paucissimi supersint: qui intra Continentem jam degentes vulgo appellantur *Ararapæ*.

Carioes. Alia natio, octuaginta pene leucis à *S. Vincentii* præfectura versus Austrum, occupat littora & *Mediterranea*, ad *Æstuarium* usque magni fluminis *de la Plata* numero pene infinita (*Carioes* appellari hosce proditur ab aliis) & *Tupinaquinis* inimica & summo opere infesta.

Omnium autem harum nationum, licet inter se discordium, conversio ad fidem Christianam propediem speratur, nam magni faciunt Patres Societatis Iesu (inquit Auctor Lusitanus, & præsertim *Mediterranei*, qui avide adventum illorum præstolantur, vocantque *Abares* & *Patres*: veruntamen ea est Portugallorum impietas,

ut Patrum in modum tonsi & illorum vestibus amicti, sæpe se Patres esse mentiantur atque ita miseros à se deceptos cædant, uxores, liberosque, atque ipsosmet velut indagine cingant & ad littora compulsos cauteriis notent, inter se dividant & mancipio tradant: quo fit, ut Patrum fides apud barbaros labascet & conversio illorum quotidie minus ac minus procedat.

Sunt præterea aliæ nationes, quibus pessime cum præcedentibus, neque satis bene inter se convenit, quæ communi nomine *Tapuya* appellantur: Illorum alii ^{Tapujæ.} peculiari nomine *Guaymures* vocantur; vicini *Tupinaquinis*, qui vix octo leucarum ^{Guaymures.} spacium ad mare, intra Continentem quantum libet occupant: vasto corpore, dura cute, laborum patientissimi, audacissimi & supra modum veloces, crinibus nigris, & promissis; neque pagos neque municipia obtinent, sed incertis vagantur sedibus; victitant avide humanis carnibus, & perniciem atque vastitatem inferunt, quocumque accesserint. Non agros colere, sed raptim vivere & Mandiocam crudam devorare assueti; arcus ipsis validi ac ingentes, & pila saxeæ quibus hostium suorum capita validis ictibus conterunt, irruunt autem, ut plurimum ex insidiis in incautos; non modo barbaris sed & Portugallis formidabiles, ob summam eorum crudelitatem.

Præter hosce degunt in interiori Continente & campestribus *Caatingæ*, haud longe à ripis fluminis Grandis, juxta limites Præfecturæ *Portus Securi*, barbari quidam ²⁰ è *Tapujarum* genere, quos peculiari nomine appellant *Tucanucos*. ^{Tucanuci.}

Nacii autem interiorem Continentem inhabitant prope *Aquitigpen*. ^{Nacii.}

Deinceps habitant *Oquigtaiuba* & *Pahi*, qui corpus Gossypina tunica reticulata absque manicis, instar sacci, tegunt, idiomate utentes à cæteris diverso.

Tum *Ari* & ipsi *Aquitigpa* vicini; & *Laratii* populosa natio & peculiaris linguæ.

Nec non *Mandevvi*, *Macutui*, *Naparaque* qui agros colunt.

Porro *Cuxara* atque *Nuhinui* occupant planiciem in Mediterraneis. ^{Cuxaræ.}

Guayava autem incolunt regionem vicinam sinui omnium sanctorum, & ipsi proprio idiomate utentes: & in eodem pene tractu *Taicivii* qui sub tectis & in tuguriis degunt: & *Corivii*: atque hæc quidem tres nationes Portugallis fœdere sunt ³⁰ junctæ.

Pigruvi quoque flos habent lares: *Obacatiara* autem tenent insulas in flumine ^{Pigruvi.} *S. Francisci*, utuntur spiculis atque arcibus; robustis corporibus; hi vescuntur humanis carnibus & propriam loquuntur linguam; ab hostibus suis deprehensi petunt aquas, atque urinando, cujus peritissimi sunt, evadunt.

His accedunt *Anhelimi*, *Aracuti*, *Cairiari* qui in subterraneis speluncis nidulantur, uti & *Guianaguaci*.

Præterea *Canucuiara*, quibus ubera ad femora usque propendent, ita ut ea subcingere cogantur, quoties cursuram moliantur. ^{Canucuiara.}

Iobiora Apuayara, qui præustis contis præliantur, unde & ipsis nomen. ^{Iobioræ.}

⁴⁰ *Cumpeha*, soli pene in hac Anthropophagorum colluvie, humanis carnibus non vescuntur, hostium suorum cervices præcidere & capita trophæi loco circumgestare contenti, Nomadum instar, vagi. ^{Cumpæha.}

Guayi & sua habent tuguria & sagittas usurpant veneno infectas. ^{Guayi.}

Cicui, *Pahaiivi*, *Iaicuivi*, *Tupyoy*, *Macaraguaci*, *Iacaruvy*, *Tapecuvy*, *Anacuy*, *Piracuy*, *Cicui.* *Taraguaiigi*, *Pahacuvy*, *Parapoti*, *Caraemba*, *Caracuvy*, *Maimimy* *Guaymurum* Socii & plerumque fœderati, licet sermone differant: *Aturari*, *Cuigtai*, *Guipa*, qui Portum securum accoluerunt: *Guigraviba*, *Augarari* haud longe à littore inter Portum securum & præfecturam Sancti Spiritus tendentes.

⁵⁰ *Amixocori*, *Caraja* obtinent interiores regiones juxta Præfecturam *S. Vincentii*, ^{Carajæ.} ab Aquilonaribus partibus advenæ: *Apetupa* prope *Aquitigpen*: *Caraguatayra* *Aquigira*, *Tapiguyri*, brevi corpore sed compacto atque robusto (Lusitani vocant *Pygmeos*.) *Quinciguigi*; *Quirigi* equites strenui; *Guajera*, *Anaguigi*.

Guaitaca accolunt littora inter Sancti Spiritus Præfecturam & flumen Januarii, delectantur maxime campestribus, fugiunt nemora, mane in sementem suam, tanquam in pascua ferarum instar procedunt, neque se sub tecta nisi somni capiendi gratia recipiunt, suntque adeo celeres, ut feras cursu assequantur. ^{Guaitaca.}

Igbigranupani, Guaymurum quoque focii & in expeditionibus, ut plurimum auxiliares, magnum strepitum stipitum collisione excitant.

Quiriguja, finus omnium Sanctorum quondam Domini (unde *Quirimure* dicebatur) à *Tupinabis* sedibus suis expulsi, versus Austrum concessere.

Maribuci prope fluvium grandem: *Catagua* juxta *Iequeriquaren* inter præfecturas portus securi & S. spiritus. *Tapuxenqui, Amacaxi* intra Continentem versus S. Vincentium, hostes *Tupinaquorum, Nonea, Apuy, Panaguiri, Bigrorgy, Piryvi, Annaciugi, Guaracativi*.

Hæ fere sunt *Tapuiarum* nationes septuaginta & sex; quarum pleræque sermone utuntur diverso; feri atque indomiti populi, qui perpetim bellum gerunt cum littoralibus, paucis tantum exceptis, qui ripas fluminis S. *Francisci* accolunt; aut Portugalorum coloniis sunt viciniore: illi enim ambiunt Portugallorum amicitiam excipiuntque illos hospitio, quoties per terras eorum iter faciunt; & non pauci illorum, linguam littoralium edocti, fidem Christianam jam cæperunt amplecti: nam absque hujus linguæ cognitione, impossibile pene fuerit *Tapujas* instituere, tanta est idioma-tum inter ipsos diversitas & barbaries. Hactenus è scriptore Lusitano Anglice edito, quem unum è Societate autumant.

C A P. IV.

Varia Brasiliensium nationes, secundum relationes Antonii Kniveti Angli, qui dudum in Basilia oberravit. 20

Petivares

P*etivares* non sunt tam feris atque immanibus moribus, quam cæteri barbari harum provinciarum, nam satis humaniter cum advenis exercent commercia: strenui autem sunt bellatores. Staturæ sunt modicæ, totumque corpus persignant quibusdam notis, labiaque perforant caprearum cornibus, quibus foraminibus ubi adoleverint virides lapillos indunt, decorum id ipsis imprimis videtur, nam alios pro rusticanis habent. Nulla ipsis religio; tot ducunt uxores quot volunt aut possunt alere: fœminis non nisi cum uno viro consuescere conceditur, nisi maritus ultro & publice permittat, tunc eis eligere licet quos desiderant. Ad bellum proficiscen-
tibus com meatum subvehunt uxores, corbis annam super dorsum bajulantes: vestium usum prorsus ignorant: victitant radicibus, aut avibus atque ferina. Maritus à venatione domum revertens, uni uxorum quicquid ceperit, elargitur, cum illa eo die consuetudinem velle habere, id indicio est: illa corpore prius abluto, statim occupat pensile lectulum, reliquæ autem ipsi ministrant. Postquam uxores prægnantes factæ fuerint, mariti nullum animal fœmellum exanimant, ne fœtus conjugum hoc factò emoriantur, metuentes. Ubi autem pepererint fœminæ, mariti se reclinant in lectulum & à vicinis omnibus officiose salutantur, & à fœminis oppipare & diligenter curantur. Per solitudines iter facientes, magnam secum portant copiam *Tabacci* & folium illius inter labia & gingivas concludunt, saliva
per dictum foramen large destillante. Sunt Anthropophagi, qui captivos suos & crudeliter mactant atque immaniter devorant: pagos habitant frequentes, possidentque agros singuli distinctos, quos studiosè excolunt. Obtinent hi barbari latissimam regionem ad septentrionalem Brasiliæ plagam: sed de his alibi quoque dicendum erit.

Ad oram Oceani Atlantici inter *Pernambucum* & finem omnium Sanctorum, primo habitant *Mariquites*, è *Tampujarum* genere, vagabunda natio: viri pariter atque fœminæ (alioquin non inelegantes) bellare norunt; ferarumque in modum pervagantur sylvas & solitudines, omnibus infesti (nisi quod nuper pacem cum Portugallis fecisse dicantur) hostes suos raro petunt aperto Marte, ex insidiis plerumque grassantur, & inopinantes opprimunt; veloces admodum in fugiendo & persequendo: idem corporis habitus qui *Petiguaribus*, nisi quod cutem notis non signent, eademque immanitas in mactandis & devorandis captivis: pertingunt ad flumen usque S. *Francisci*.

Ab hoc ad finem omnium Sanctorum, habitant *Topinambazes*, itidem moribus, habitu atq; cultu corporis similes *Petivaribus*, (nisi quod fœminæ horum formosiores esse feruntur)

feruntur) quorum & idioma usurpant, in eo cæteris barbaris dissimiles quod barbaram alant.

A Sinu hoc ad Insulas, ut vocant, incolunt *Waymores* sive *Guaymures*, de quibus superiori capite jam diximus.

In Præfectura Sancti spiritus degunt *Tomomymi*, ferocissima natio: sæpe (inquit *Knivetus*) cum Lusitanis adversus istos in bellum sum profectus, *Morogegen* oppidum illorum oppugnatum. Multa enim habent oppida in insulis fluminis *Paraciva*, ingentibus saxis, quæ palorum in modum disponunt, & intus vallo terreo aut sili-cibus muniunt, septa. Ædium tecta è corticibus arborum strata, parietes è stipitibus aut cannis, opere topiario, affabre constructi, ita ut sagittas per interstitia possint ejaculari. Erant in exercitu nostro quingenti Lusitani, & tria millia barbarorum confœderatorum, quum obsideremus *Morogegen*, & tamen hi barbari tanto impetu erumpebant in nostros, ut nos vallo communire & suppetias ab oppido Spiritus sancti cogere-mur petere. Illi in vallo consistentes, plumis ornati & corpus rubricâ tincti, quotidie nobis insultabant & rotulam quandam plumis adornatam incendentes & supra capita sua rotantes, inclamabant *Lovae eyave Pomonhana*, id est, eodem modo & vos consumemini. Verum quum auxiliares nostri advenissent, sensim se ex oppido cæperunt subducere, quod nostri advertentes, cratibus ex oblongis cannis compactis (*Pannesses* vocant Lusitani) tecti, subeunt vallum, diruuntque & non sine discrimine, atque multis nostrorum desideratis, in oppidum irrumpunt: sedecim pene hostium millia, partim cæsa, partim capta & inter Lusitanos divisa: dein & minora aliquot oppida capta fuere, senes atque invalidi interfecti, reliqui in eundem modum servituti addicti: denique agro ipsorum septem diebus pervastato, secundum flumen *Paracivam* descendimus, ad oppidum quod vocant *Morou*, inde superato monte (quem barbari vocant *Parapiaquena*, ab Oceani conspectu) pervenimus *Tupan Boye-ram* (quem locum Lusitani vocant *Organa*, sunt autem montes qui flumini Januarii imminent) atque inde descendimus flumen *Macuin*, usque ad oppidum *S. Sebastiani*, ubi exercitus fuit dimissus. Hæc ille.

Waytaquases agunt ultra citraque Promontorium frigidum, (Lusitanis *Cabofrio* barbaris autem *Iocoex*) locis humidis atque uliginosis, longe proceriores *Guaymuribus*, promittunt capillos; fœminæque belligerant haud secus ac viri; tuguria illorum sunt humilia & exigua; non ut alii, in pensilibus lectulis, sed humi cubant instar brutorum, juxta pyram projecti: cum nulla alia natione pacem colunt, omnibus æque infesti, atque immanes etiam in vicinos.

Wayanasses incolunt insulam *Grandem*, ut vocant, octodecim circiter leucis ab ostio fluminis Januarii versus Austrum sitam; sunt autem statura breviori, projecto ventre, planis pedibus, timidi atque imbelles: fœminæ facie sunt formosa, cætera maxime deformes, pingunt totum corpus rubrica quadam, quæ fit ex *Vruca*, ut vocant, fructu instar fabæ. Alunt comam tam mares quam fœminæ, quam tamen circa verticem ad Franciscanorum modum attendant. Præcipuum illorum municipium vocatur *Iamaripipo*.

Topinaques, incolæ Præfecturæ *S. Vincentii*, perparum differunt à reliquorum barbarorum ingeniis & moribus; fœminæ illinunt cutem variis coloribus, ut formosiores videantur. Jugulant captivos suos magno apparatu, picti corpora fructus cujusdam succo, quem vocant *Jampavo*, & plumeo diademate caput cincti, crepitacula manibus vibrantes; denique choreas integro triduo celebrant, antequam ad immanem carnificinam accedant.

Pories procul intra Continentem degunt, pene centum leucis ab Oceano, *Way-nasses* similes; brevi statura: victitant pineis nucibus & Cocis pomorum magnitudi-ne, durissimo cortice, ipsi suo idiomate appellant *Eryres*. Vestiri amant, fœminæ autem inficiunt cutem variis coloribus, rubro, ceruleo, flavoque: colunt pacem cum Portugallis, nec facile etiam cum aliis bellum gerunt; nec humanis car-nibus delectantur, si alius victus suppetat: lectos pensiles texunt è libris arborum; defendunt autem se à pluvia atque aëris injuriis, ramis arborum inter se connexis & palmarum foliis desuper tectis, hæc solum domicilia noverunt. Frequentes reperiuntur in illorum terris leones pardi, quos ipsi vocant *Iavarile*, & leones quoque ipsi

Iawarofou; felesque silvestres, quos *Marcahayte* nominant: opes illorum sunt oleum Balsami, quod cultello aut pectine magna copia permutant.

Molopa-
ques.

Molopaques occupant vastam regionem trans fluvium *Paraivam*, Germanis corporum mole pares, alunt barbas, quod cæteris barbaris inusitatum. Tegunt quoque obscenas corporis partes, suntque moribus satis decoris. Oppida sua muniunt vallo, quod è transversis lignis componunt, & aggesto cespite firmant: singulæ familiæ inter eos sua habent domicilia. Parent uni quasi Regi, quem vocant *Moroshovam*, qui cultu corporis non multum diverso utitur à cæteris, sed plures quam subditi alit uxores. Plurimum auri apud hos reperitur, quod neque magni faciunt, neque multum eo utuntur, præterquam quod filis piscatoriis appendant, quum in flumine *Para* optimorum piscium fæcundo, piscantur, distat hoc flumen à *Paraiva* prædicto, leucas octuaginta: Aurum autem nequaquam effodiunt è terra, aut telluris viscera illius gratia scrutantur, sed ubi pluvix uberius terram abluerint, ramenta colligunt sponte obvía: metalla enim hæc plerumq; reperiuntur in montibus, qui nullis arboribus vestiti sunt, aridis & nigro solo tectis, barbari vocant *Tajaquara*: Mons autem ubi *Molopaques* hæc auri ramenta colligunt ipsis dicitur *Eteperange*: felicissima utique gens si verum Deum nosset: fœminæ enim ipsorum sunt formosæ, beneque moratæ, quas raro cachinnantes videas, ingeniosæ; demittunt comam suam usque ad femora, quam habent nostratibus similem, flavam, subcinericeam, fulvam, &c. Eaque obvelant nuditatem suam, decorum id imprimis judicantes; quibus autem coma brevior, illæ pellicula quadam pudenda obvelant, ipsis *Savvayathuvason*. Observant statas cibum capiendi horas, meridie atque vespere; sectantur mundicias; moribus denique sunt ita decentibus, ut minus barbari videri possent, nisi & ab humanis carnibus non abhorrerent.

Eteperã-
gæ.

Motayes.

Motayes hisce contermini, statura brevi, colore fusco; nudi agunt; demittunt capillos capitis paululum infra aures tam fœminæ, quam mares: ubi longius excreverint, tam decenter in orbem deurrunt, ac si tonsillis præcisi fuissent: reliquis corporis partibus ita evellunt crines, ut ne quidem in superciliis tolerant. Mayzio, radicibus, ranis, anguibus, serpentibus, crocodilibus, fimiis, canibus denique & felibus victitant silvestribus. Credo & Anthropophagos esse, licet Author sileat.

Lopi.

Lopi superioribus vicini degunt, quos Lusitani appellant *Bilberos*; agunt autem in montanis, pineis nucibus vitam tolerantibus: Metallis atque preciosis gemmis tam abundat illorum regio, quam alia quævis Americæ hujus, verum tam longe à Mari remota est, tamque populosa, ut difficulter eo possit penetrari: cæterum statura sunt brevi, fusco colore pariter fœminæ atque mares, rudes, inconditis moribus; denique feris similiores quam hominibus.

Wayanavvafo-
ni.

Madiopera.

Inde transitur ad *Wayanavafones*, homines rudes & simplices; bene tamen compositis membris & decoros aspectu, verum ita desides, ut totos dies in tuguriolis suis stertant, dum fœminæ ipsis pepones atque radices in cibum quærunt. Hic fructum quendam reperiri narrat, quem barbari vocent *Madioperam*, pruno persimilem, colore aureo, nuce intus dulci instar *Amygdalæ*; verum adeo venenatæ qualitatis, ut si quis paulo largius hoc fructu vescatur, statim emori sit necesse; id sedecim è suo consortio morte, cæterorum maximo periculo fuisse comprobatum. Author hic describit adhuc plures nationes, sed iter adeo longum ad illas designat, ut nullus dubitem extra Brasiliæ limites constitutas esse, & incertus sim ad quam potissimum provinciam sint referendæ.

Atque hæc quidem de variis Brasiliæ indigenis è duobus hisce authoribus dicta sunt, plura de quibusdam dicenda erunt, quum ad singularum provinciarum descriptionem pervenerimus.

C A P. V.

Quadrupedes Brasiliæ, secundum Authorem Lusitanum, Joannem Lerium atque Thevetum.

Cuacu.

CERVO S vocant Indigenæ sua lingua *Cuacu*, quorum nonnulli hic reperiuntur caballorum magnitudine, vastis & arboreis cornibus, sed tantum juxta ripas Fluminis *S. Francisci* & in præfectura *S. Vincentii*. Carioes autem vocant

Cuacua-

Cuacuapara & hoc animal faciunt maximi; nam asperant sagittas suas eorum cornibus & pila quædam ex iisdem conficiunt quibus feras hominesque dejiciunt & prosterunt: Alii sunt paulo minores, quorum tres quatuorve numerantur species, qui partim in sylvestribus partim in campestribus locis gregatim vagantur.

Lerius cervorum quandam speciem commemorat, barbaris *Seovassu*, nostratibus dissimilem, quod minora cornua gestet & villis ad capras quamproxime accedat.

Alces *Tapyrete* à barbaris appellari scribit Author Lusitanus, *Lerius Tapirousson*, ^{Tapyre-}
Thevetus *Tapihire*; sunt autem mulis non absimiles, promuscide oblongiori, quam
10 aut contrahunt aut promittunt, sine cornibus, auriculis longioribus & pendulis, collo contractiore, cauda brevissima, auribus gracilibus, solidis unguibus, carne pene accedente ad bubulam. Natandi atque urinandi peritissimum est animal, statim petit fundum, & ubi longius processerit, emergit rursus: magna horum in hisce provinciis est copia, ita ut tergoribus illorum barbari clypeos suos obducant aut eadem in orbem distenta & ad solem siccata conforment in parmulas.

Ingens quoque aprorum sylvestrium numerus, qui umbelicum habent in dorso è quo gravis odor, instar vulpecularum exhalat, unde facilius à canibus deprehenduntur atque capiuntur; barbari habent carnes illorum in deliciis. Sunt & alii hic majores, sed rariores, quos appellant *Tayacutiricas*, quasi dicas apros dentibus frendentes, quibus cæteras feras territant. *Lerius* videtur hoc animal vocare *Tajassou*. Reperiuntur hic & alii quos appellant barbari *Tajacuguitas*, id est, apros manentes seu subsistentes, quia infesti homines canesque petunt & si prehenderint, dilaniant, adeo feri atque terribiles, ut barbari ad arborum fastigia eniti cogantur, ubi hæ feræ illos interdum integros dies operiuntur; verum Indigenæ hujus gnari, arcum & sagittas secum portare consueverunt, & feras sagittis desuper petere atque necare.

Acuti sive *Agouti*, ut *Lerius* effert, cuniculis Europæis haud absimiles sunt, colore subflavo; cæterum domesticum animal, tecta subire & rursus ad venandum egredi suetum, cibum anterioribus unguibus prehensum devorat quam ocysimè; & ubi fatietatem coeperit, recondit studiose reliquias: variæ reperiuntur horum animalium species, omnes edules.

Paca nefrendibus similes, quarum maxima hic est copia, caro tamen illarum difficulter concoquitur; quædam sunt nivei coloris, quæ potissimum juxta ripas fluminis *S. Francisci* reperiuntur, rarius alibi.

Pag aut *Pague* (nam quo modo id nomen pronuntient, vix ac ne vix quidem intelligas) fera est (inquit *Lerius*) altitudine mediocri, atque adeo venatici canis, capite deformi, carne ad vitulinæ saporem accedente, pelle pulcherrima, quæ maculis variis, candidis, leucopis, nigrisque distinguitur.

Plurimæ (inquit Lusitanus) reperiuntur in hisce regionibus Lynces, aliæ nigri coloris, aliæ fusci, quædam & notulis variis eleganter distinctæ; truculentissimum est animal, & quod vix effugias, præsertim si grandiusculum sit; gallinis pariter atque suis infestissimum, quorum interdum integrum gregem una nocte devastat; præcipuum ipsi robur in unguibus, quicquid prehenderit lacerat. Sunt tamen inter barbaros ita audaces fortesque, ut interdum in patenti campo obviasprehendant atque enecent, non minori apud populares suos gloria, quam si hostem in acie vivum manu cepissent. Abundat hisce feris inter alias præfectura *S. Vincentii*.


Carigue, sive (ut *Lerius* scribit,) *Sarigoy*, vulpeculis Hispaniensibus sunt similes sed minores & longe graveolentiores, colore fusco: ascus ipsis sub ventre pendulus in quo fetus suos, quos plerumque sex aut septem uno partu enituntur, tantisper alunt & circumgestant, quoad ipsi cibum capere noverint: noctuambulium animal, & cum cæteris avibus, tum gallinis infestissimum; de quo etiam alibi.

Tamandua animal admirabile, magnitudine canis, tereti potius corpore, quam longo, cauda longitudine ad minimum triplo corpus excedente, tam villosa, ut adversus aëris injurias totum corpus illa ita tegat, ut videri non possit: exiguo capite & gracili admodum promuscide; ore rotundo & non admodum patulo, lingua
longissi-

longissima, qua formicas, quibus victitat, deglubit; in antris illarum indagandis imprimis solers, quæ unguis suis acutissimis perrumpit, & formicas erumpentes attrahit lingua; ferox animal & quod cæteris animantibus atque adeo hominibus non raro insultat, ipsis trigribus, ut canes taceam, metuendum: cibo inutile, neque ulli rei idoneum, præterquam formicarum antris destruendis, in quo egregiam operam indigenis præstat.

Tatu.
Armadillo.
lo.

Tatu sive *Tatou*, animalculum, quod Hispani vocant *Armadillo*, Lusitani *Encubertado*, porcelli magnitudine, colore cinereo & totum corpus ossis squamis veluti laminis quibusdam tectum, Rhynocerotis pene in modum, pulcherrimo ordine dispositis & mira formarum varietate, quæ adeo duræ sunt, ut sagittarum aciem frangant; victitat sub terra instar talparum, eamque tanta celeritate suffodit, ut multorum fossorum laborem atq; industriam sæpissime fallat nec facile capiatur, nisi aqua cuniculis illius infusa: carne sunt candida & optimi saporis, instar porcelli vel etiam gallinæ; exuviis illius ad crumenas & alia opera utuntur. Accuratissimam hujus animantis Iconem (licet toti pene Americæ perfamiliares sit) hic apponimus è Clariss. Viri Clusii Exoticis expressam.



20

l.v. c. i.v.

Supra autem promissimus nos hoc animalculum alibi paulo accuratius descripturos: Animal est monstrosum (inquit *Franciscus Ximenez*) mole catelli mælitei, sed cauda grandiore, cruribus instar erinacei, (quorum anteriora quidem quatuor digitos habent, posteriora quinque; rostro ad eundem modum sed longiori & subtiliori, auribus cartilagineis & depilis; tectum est toto corpore (præterquam sub ventre & circum collum) laminis quibusdam instar cataphracti equi, quæ certis tendinibus ita junguntur, ut animalculum in omnes partes se facillime possit commovere, laminæ autem ipsæ plane sunt ossæ, & ita conformatæ ut Icon repræsentat. Scribit *Ximenez*, laminas hæc in pulverem comminutas & dragmæ pondere haustas è decocto salviæ, provocare sudorem & singulare esse remedium contra luem veneream. penultimum autem ossiculum caudæ, qua corpori jungitur, in subtilissimum pulverem redactum & cum aceto rosaceo in pillulas coactum, & auribus inditum, miraculi instar surditatem tollere, quando provenit ex causa calida. Addit *Monardes*:

40

cap. 37.

Nunc ex continenti habemus ossiculum caudæ peregrini animalis, cujus in tenuissimum pulverem redacti pilula, confecta magnitudine capitis aciculæ, atque auri indita dolorem ejus sedare & tinnitum etiam, cum exigua surditate junctum, traditur curare. Certe sedari dolorem frequente experientia est comprobatum. Quidam etiam (ait *Ximenez*) affirmant, pulverem caudæ urinam promovere, quod quomodo fiat, nequeo capere. Laminæ illius in pulverem redactæ, & pulvis cum aqua coactus in massam, extrahit spinas è quavis parte corporis. Hæc ille. Clarissimus Clusius aliam hujus animalculi speciem describit & Iconem quoque exhibet, quem

50

l. 5. c. 15.

Lector consulat, si placet. Herinaceos majores appellant barbari *Canduacu*, minores *Candumiri*, sunt autem Africanis omnino similes. At sunt alii ibidem adhuc minores, quibus spicula sunt subflava, ad acumen nigricantia: quorum spiculorum eam tradunt esse naturam, ut carni vel leviter impacta sponte sua porro penetrant, ideoque barbari illis ut plurimum utuntur ad auriculas perforandas.

Hirara

Hirara barbarorum, Hyenæ, quam hodie Civettam vocamus, similis est, nam eandem esse negant; earum aliæ sunt nigræ, aliæ fuscæ, quædam & candidæ: melle solummodo vescuntur, in quo eruendo supra modum sunt industriæ, nam apiaria inventa ita suffodiunt, ut aditus illis amplissimus ad illa pateat, tum catulos suos ad illa adducunt, & mel exhauriunt, idque non ante degustant ipsæ, quam catuli saturati fuerint, egregio amoris in catulos indicio.

Simiorum & simiarum, item Cercopithecorum maximus hic numerus & summa varietas; inter illos est species quædam, cæteros magnitudine multum excedens, *Aquiqui* vocant barbari; nigris villis & longa infra mentum barba: è quibus interdum nascitur masculus colore subrubenti, quem Regem simiorum vocant barbari, facie subalbicante, & barba inter utramque auriculam tam eleganter composita, quasi attonsa esset, is arborem non raro conscendere dicitur & stridula voce veluti concionari, tam alte ut procul possit exaudiri, habet ad id peculiare sub palato organum à natura comparatum, concavum, è tenuissima sed validissima membrana, ovi magnitudinè; quod levi momento distenditur; inter stridendum autem largam eructat spumam, quam catulus juxta positus, successorem illius vulgo autumant, studiose à barba illius abstergit. *Antonius Knivetus* Anglus scribit, hoc simiorum genus à Petiguaribus appellari *Wariva*.

Reperiuntur præterea ad oram Brasiliensem cercopitheci (inquit *Lerius*) parvuli atque nigri, quos illi vocant *Cay*, jucundissimi tum aspectu, tum auditu, nam in arborum cacuminibus, quæ fabas quasdam ferunt in lobis, quibus illi victitant, procelloso præsertim tempore gregatim garriunt & clamitant.

Est & alterius generis Cercopithecus, quem ipsi appellant *Sagovin*, magnitudinè sciuri, eodemque pilo ruffo, cæterum rostro, collo, pectore reliquisque fere partibus leoni persimilis, audax etiam, nullique parvulorum animalium pulchritudine concedens. Iconem expressit in Exoticis suis *Carolus Clusius*; sed an sit idem animal, quod *Lerius* describit, affirmare non ausim. Cæteras simiorum species & earum fraudes atque industriam describere longum esset, neque necessarium.

Cuati, inquit Author Lusitanus, colore sunt fusco, fibris Lusitanicis non absimiles, conscendunt arbores instar simiorum; cicurantur interdum, verum tanta est voracitas & malitia ut ægre ferantur. *Lerius* autem describit *Coati* ad hunc modum; altitudine est leporis, brevi pilo & maculoso, auribus parvis & acutis, capite cum parvo, tum ab oculis eminente rostro, plus pede uno, longo & scipionis instar tereti, ore ita angusto, ut vix auricularem digitum admittat; ubi capta fuerit hæc fera, collectis quatuor pedibus aut in alterum latus vergit aut concidit, neque unquam ut se erigat, aut vescatur compelli potest, nisi præbeantur formicæ, unde in sylvis sibi victum parat.

Felium præterea sylvestrium summa hic copia atque varietas: quidam enim sunt nigri, quidam albi, non pauci & subflavi, omnes supra modum agiles & damnosi, non modo avibus, sed & hominibus, pelles autem magno sunt usui.

Iagoarucu sunt Brasiliensium Canes, nam ad eorum modum latrare videntur, colore è fusco & albo mixto, cauda admodum villosa, velocissimi; victitant raptu & fructibus, suntque mordacissimi.

Tapati sive *Tapiti*, ut effert *Lerius*, cuniculi nostrates videri possent, nisi quod canum instar latrant, præsertim noctu, quod inauspicatum credunt barbari: tres aut quatuor foetus edunt uno partu; rariores tamen reperiuntur, quia non modo rapacibus avibus sed & cæteris feris maxime sunt obnoxii. *Lerius* comparat illos leporibus, & subrubescenti pilo esse scribit.

Iaguacini, vulpibus Lusitanicis magnitudine pares sunt, neque abludit color; victitant potissimum cancris & gammariis; nec non Sacchari cannis quibus sæpe vastitatem inferunt; alioquin innocens animal & somniculosum, unde haud difficulter opprimitur.

Biarataca, mole felem, forma æmulatur viverram, dorsum illius linea alba atque fusca, crucis in modum ducta, eleganter distinctum: victitat volucribus & illarum ovis; tantopere autem appetit *Ambar*, ut noctu plerumque in litore vegetur, illius indagandi gratia. Fera hæc supra modum metuitur, non quod dentibus aut unguibus lædat, sed propter gravissimum odorem quem spargit,

spargit, qui adeo virulentus est atque noxius, ut ligna atque saxa penetret, & homines atque animalia enecet: atque hic factor quindecim viginti & interdum plures perdurat dies, ita ut pagos suos barbari deferere cogantur, ubi hæ feræ propius accesserint.

Familiale quoque hisce regionibus est animal cui ab ignavia nomen inditum cuius descriptionem alibi dedimus. Glirium autem infinita hic copia & variæ species, quæ magnitudine & colore multum differunt & à barbaris comeduntur, satis adeo noxii, ut interdum illa corrumpant.

Hay.

Hay (inquit Lerijs) magnitudine est canis, facie cercopithecii, ventre pendulo quemadmodum scrofarum prægnantes, pilo leucopæato valde diluto, longissima cauda, pedibus in morem ursi villosis, prolixis unguibus: licet autem dum in sylvis agit, valde sit ferum, captum tamen facile cicuratur: nudi tamen barbari non lubenter cum illo colludunt, propter unguium longitudinem & acumen: mirum autem & pene incredibile, quod neque in sylvis neque domi ullum cibum capere visum narrent barbari, ita ut aura instar Chamæleontis vivere opinentur. Thevetus vocat hanc eandem feram *Hait* sive *Haiti*, & Iconem illius de signat facie pene infantis, quam hic adjungimus. 20



Licet autem de illius abstinentia à cibis eadem scribat cum Lerijs, tamen opinatur foliis arboris cujusdam, quam vocant *Amabut*, vesci, quia ut plurimum in fastigijs illarum arborum reperitur.

C A P. VI.

Angues serpentesque terrestres ex iisdem scriptoribus, ut supra.

- D**IXIMUS supra, hanc regionem plurimos angues, serpentesque tolerare, eorum aliquos hic describemus ex Authore Lusitano, Lecio atque alijs. 30
- Giboya.** *Giboya* sive *Iaboia* omnium serpentum quos hæc regio fert maximus, quadrupes, interdum viginti pedes longus, aspectu pulcher & tantæ molis, ut interdum integrum cervum deglutire visus fuerit: nullum huic virus, neque dentes moli corporis respondententes: feras autem capit singulari industria, quippe juxta semitas resupinans in prætergredientes inopinato insilit, easque ita circumvoluit, ut ossa omnia comminuat, deinde lambendo ita emollit, ut integras possit deglutire.
- Giraupiagara.** *Giraupiagara*, quasi dicas ovorum helluones, sunt nigri, oblongi, subflavo pectore, tam velociter supra fastigia arborum feruntur, quasi in aquis natarent, & ibidem volucrum nidos depopulantur. 40
- Caninana.** Sunt & alii, quos vocant *Caninanas* perelegantes & viridis coloris, oblongi & crassi qui itidem ovis atque volucris victitant.
- Boytiapua.** *Boytiapua* quasi dicas anguem oblongo rostro præditum, teres & oblongus, ranis solummodo victitare dicitur: barbari foeminas steriles, foecundas reddi autumant, si lumbis illarum hic anguis affricetur.
- Guaytiepua.** *Gaytiepua* in Regione *Rarim* tantummodo reperitur, ingenti mole & tam graviter olens, ut foetor illius nullatenus ab hominibus possit tolerari.
- Boyuna.** *Boyuna*, id est, niger anguis, gracilis & oblongus, gravemque de se spargit foetorem instar vulpecularum.
- Bom.** Est & alius anguis magnæ molis, quem à strepitu quem edit vulgo vocant *Bom*, cætera innocuus, neque cuiquam infestus. 50
- Boycupecanga.** *Boycupecanga* vero, id est, anguis in tergo notulis quibusdam distinctus, multo est crassior, ejusque nota supra modum virulentæ judicantur.
- Jararacæ.** *Jararacæ* autem nomine, quatuor venenatorum anguium species designantur; quorum maximos appellant *Jararacucu*, decem palmos longos: his dentes sunt grandiusculi, quos morsuri digitorum instar, protrudunt, alioquin buccis tectos, præcipuum in

in hisce virus, humor crocei coloris, adeo potens ut viginti quatuor horarum spacio homines de medio tollat: plures simul enituntur fœtus, nam & qui tredecim utero fervet, exenteratum ferunt. Altera species dicitur *Iararcoaypitinga*, id est, anguis cujus cauda magis alba est quam fusca, tam venenatus, quam vipera Hispaniensis, nec forma multum differt aut color. Tertia *Iararaepeba* nominatur, cui linea rubri coloris catenulæ instar super dorsum & sub ventre discurrit, cætera fuscus aut cinereus. Minimi denique appellantur *Iararacæ*, qui raro longitudinem dimidii cubiti excedunt, terreo colore, venis quibusdam in capite prominentibus instar viperarum, & haud aliter quam illæ stridentes.

10 *Curucucu* truculentus anguis, & plurimum metuendus, interdum quindecim palmos longus; præcipuum illi venenum in capite, ideoque barbari intercepto quanto- Curucucu.
cius caput amputant & cooperiunt humo.

Boycininga, à tintinabulo quod extremæ illius caudæ Author naturæ addidit ita Boyci-
appellata; plerumque duodecim aut tredecim palmos longa, tam celeriter proreptans ninga.
ut volare videatur: est virulentissimus; verum rarius hominibus nocet, quia strepitu, quem tintinabulo edit, veluti admonet de via decedere. Ejus minor species *Boyci-ningpeba* appellatur, nigro colore & exquisitissimo veneno. De hoc angue etiam alibi diximus, quum & in America Septentrionali reperiatur.

Ibiracua autem virus tam vehemens censetur, ut homini quem momorderit, quan- Ibiracua:
20 tocius sanguinem ex oculis, auribus, naribus, gutture & inferioribus corporis partibus expellat, tanta copia, ut nisi statim subventum fuerit, emoriatur.

Ibiboboca pulcherrimus anguis, nigro, rubro atque albo colore, caput totumque Ibiboboca.
corpus distinctus, verum omnium longe virulentissimus, & tardissime se promovens.

Vehementiam veneni quo prædicti angues atque serpentes sunt instructi, & exquisitos dolores quos adferunt & numerum illorum qui quotidie præ moribus ipsorum intereunt, explicare difficile fuerit: tanta enim illorum multitudo, ut non modo in campis & sylvis, sed & in ipsis domiciliis, inque lectulis incautos opprimant, & nisi statim subveniatur venæ sectione, dilatatione vulneris, haustu unicornu aut Carimæ vel denique alterius antipharmaci ope, exquisitissimis cruciatibus necesse sit interire. Sunt autem inter illos nonnulli, præsertim ex *Iraracarum* genere, qui muscum redolent, unde facilius ab hominibus hujus gnaris aut vitantur aut occiduntur.

30 Scorpionum præterea in hisce regionibus, infinitus est numerus, qui raro mortem adferunt, licet ingentem cruciatum viginti quatuor horis infligant.

Quia autem de venenatis & noxiis animantibus cœpimus, de insectis quibusdam pauca addamus. Barbaros (inquit *Lerius*) infestat exiguum insecti genus, quod *Ton* Ton.
nuncupant; nascitur in pulvere, magnitudine pulicis: at ubi sub manuum aut pedum unguibus se insinuavit, prurigo statim oritur, acyri modo, & nisi confestim eruatur, brevi spacio excrescit ad pisi magnitudinem, nec tum extrahi potest nisi cum magno cruciatu. haud dubio idem est cum *Nigua* de qua alibi diximus. Adversus hanc luem utuntur barbari hoc remedio: partes corporis quæ illis expositæ sunt & obnoxia oleo
40 inungunt spisso & rubri coloris, quod exprimitur è fructibus, quos illi vocant *Couroq*.

Gignit præterea Americanus aër subtilissimum culicum genus, quod Brasilienses vocant *Yetin*, qui adeo lancinant etiam levius indutos, ut mucrones acuum referant. Yetin.

Sunt & hic papiliones quidam quos barbari (inquit *Lerius*) appellant *Aravers*; Aravers.
gryllorum magnitudine; gregatim quoque ut illi accedunt ad focos, exeduntque si quid offenderint, præsertim vero thoraces coriaceos & calceos ita arrodunt, ut superficiem penitus absument; gallinas quoque & alia cibaria negligentius recondita ad ossa usque erodunt. Ut hoc caput absolvam, totum hoc clyma obnoxium est venenatis, damnosis atque permolestis animantibus.

50

C A P. VII.

Volucres quædam Brasiliæ descriptæ ex iisdem Authoribus.

Q U E M A D M O D U M hæ regiones ubique pene sylvis & densissimis lucis sunt impeditæ, ita ad miraculum usque scatent innumerabili elegantissimarum volucrum copia: Præsertim autem Psittacorum, quorum infinitus pene numerus

- merus ita, ut integros saltus, integras insulas occupent, elegantia & plumarum admirabili varietate; quorum plerique humanas voces & loquelam discunt imitari si paulo diligentius erudiantur. Inter illos excellunt magnitudine & pulchritudine, quos barbari *Araras* & *Macaos* vocant, rariores & maritimis provinciis; plumæ pectoris sunt purpureo colore eleganti, versus caudam aut flavo aut viridi aut cæruleo colore sunt tinctæ, reliquo corpore mira varietate unum aliquem horum colorum, cæteris dilutius intermixtis, exprimunt; caudam habent oblongam: duo tantum ova in concavis arborum aut petrarum cavernulis excludunt: Barbari has aves maximi faciunt, ob plumarum elegantiam; cicurantur autem facile & voces humanas discunt sonare. 10
- Arara. Macao.*
- Anapura.* His proxima *Anapura*, è Psittacorum itidem genere, elegantissimis coloribus, rubro, viridi, flavo, nigro, cæruleo, fusco, aliisque miro temperamento toto corpore, distincta; atque eo potissimum cæteris præferenda, quod non modo cicuretur & doceatur, sed & pullos suos sub tectis excludat atque educet; quod aliis insuetum.
- Araruna.* Tertium locum meretur *Araruna* vel *Machao*, plumis quidem nigris, sed viridi colore tam eleganter distinctis, ut solaribus radiis percussæ, mirabilem in modum emicent, pedibus flavis, rostro atque oculis rubentibus; parit tantum in Mediterraneis, rariusque reperitur juxta littora.
- Aiuru-couri.* Quarta Psittacorum species, (quos Barbari vocant *Ajuru-couros*) longe pulcherrima est, maxima parte viridis coloris, crista & collari flavis, plumis supra rostrum cæruleis, alarum remigibus eleganter rubentibus, cauda rubra atque crocea, quibus viridis color est intermixtus. 20
- Tuins.* Omnium sunt minimi, quos vocant *Tuins*, virides aut diversis coloribus pulcherrime variati; qui ob docilitatem magni fiunt, omniumque maxime sunt domestici, cibum ex familiarium ore capere, eorumque dentes purgare fueti, in subsiliendo, canendo, garriendoque indefessi.
- Guarubæ.* Psittacorum autem genus, quod appellant *Guarubas*, id est, flavas aves, neque loquitur, neque gesticulatur, triste & solitarium; magni tamen fit à barbaris, quia ex intimo Continente adducitur, neque facile conspicitur nisi in ædibus barbarorum quibus præcipua sunt veneratione, hi enim illos interdum binorum mancipiorum lytro permutant, neque secius æstimant quam Nobiles nostri accipitres aut falcones. 30
- Yapu.* *Yapu* denique æmulatur picam; cujus totum corpus nigricat, cauda tantum flavescit: tres illi in capite pinnulæ, quas erigit instar cornuum, oculos habet cæruleos, rostrum croceum: pulcherrima avis sed quæ ubi irascitur gravissimum de se fundit odorem; in victu quærendo admodum sedula, araneas, scarabeos, gryllos per omnes ædium angulos pervestigare fueti: periculosum autem manibus has gestare, quia oculorum acies appetunt, naturali quodam instinctu.
- Lerius tres tantum Psittacorum species prodidit, *Ajourous* omnium maximos; *Marganas* qui Europæ ut plurimum inferuntur; & *Tovis* quos Galli vocant *Moissons*.
- Guaiminibique.* Minorum autem volucrum, quas *Guaiminibique* appellant barbari, variæ sunt species, uti *Guacariga*, id est, radius solis, & *Guaracigaba*, id est, capillus solis. Insularum quas *Antillas* vocant, incolæ vocant *Renatos*, quia semestri integro creduntur dormire, & primo vere veluti renasci: Hispani vocant alibi *Tomineios*, quia, ut refert *Oviedus*, in monetaria trutina, qua aurum expendi solet, cum nidulo suo posita, bina tantum pondera, Hispanis *Tominos* dicta, pendet, id est grana viginti & quatuor: pulcherrima autem est avicula, nam capitis & colli plumæ miram repræsentant elegantissimorum colorum quocunque obvertas, varietatem, uti & pectus, præsertim autem igneum quendam colorem, auro splendidiorem: reliquum corpus subcinericium est: rostrum habet oblongum & linguam rostro duplo longiorem: volat celerrime, editque inter volandum strepitum quendam instar apiculæ, ita ut magis apis quam avis videatur. 50
- Origo illarum proditur duplex, nam aliæ quidem ex ovis excluduntur uti reliquæ volucres: aliæ ex muscis transformari creduntur vulgo; quod haud dubio fabulosum. Omnes pene Hispani, qui de rebus Indicis scripsere, meminerunt hujus aviculæ, neque cantus illius ullam faciunt mentionem; soli Lerius & Thevetus Galli, suavem illi tribuunt cantum, scribuntque à barbaris nominari *Guomanbuch*, quod nomen ab eo quod jam ex nupero Authore Lusitano expressimus, non multum abludit: nisi quod

quod pluribus speciebus commune faciat. Iconem supra exhibuimus è Clar. Viro ^{1.5.c.17.} Carolo Clusio, hic & illius descriptionem adjungimus. Erat (inquit) hæc avicula, ut ex pictura observabam, à rostri mucrone ad pennarum caudæ extremitatem, tres uncias longâ: caput videlicet cum integro rostro, erat longitudinis uncialis cum semisse; alæ ad extremam pene caudam porrectæ, parem habebant longitudinem: dorsum vix unciam erat latum; ejus & alarum color ex cinericeo fuscus, ventris cineraceus, pennæ quæ in cauda obscure rubentes, earumque extrema pars nigra; capitis, colli, gutturis plumæ elegantissimæ, coloris ex aureo, rubro & flavo mixti, quæ soli expositæ, admirabilem varietatem prout obvertebatur caput, ostendebant: rostellum ^{1.5.c.2.} nigrum, tenuissimum & maxime acutum: pedes valde exiles, nigri, quatuor digitis, ut reliquarum avium, præditi, quorum tres in anteriorem partem porrecti, quartus in posteriorem. Hæc ille, qui plura desiderat adeat illius Exotica.

Guranha-engera magnitudine Fringillæ, tergo atque alis ceruleis, pectore & ventre flavo, diademate supra caput flavo; pulcherrima avis, cæterarum fere omnium cantum imitatur & mille modis flectit vocem atque subinde mutat: variæ hujus reperiuntur species, quæ omnes aviariis inclusæ summopere delectant. ^{Guranha-engera.}

Tangara passeris magnitudine, colore nigro, capite subflavo; non canit: Epilepsiæ videtur obnoxia, ideoque carnibus illius abstinent barbari; variæ illius sunt species. Narrant barbari aviculas hæc inter se choreas ducere, una instar mortuæ humi ²⁰ cumbente & inconditum murmur atque strepitum edere; donec illa consurgat & similem strepitum edat, tunc omnes una avolare.

Quereiva maximi fit à barbaris propter plumarum exquisitam elegantiam; quippe totum illius pectus, pulcherrimo colore rubro tectum est, alæ autem nigro, reliquum corpus cyaneo. ^{Quereiva.}

Tucana, quam Lærius & Thevetus vocant *Toucan*, picæ magnitudine (inquit Author Lusitanus) flavo pectore, reliquo corpore nigro: rostro ingenti & minimum palmum longo, extus flavo, intus vero lætè rubente; cicuratur ita ut sub tecto pullos suos excludat. Mirum autem videri possit quomodo tantilla avis tam grande rostrum ferat, sed est levissimum & valde tenerum. ^{Tucan.}

³⁰ *Guirapanga* tota est alba & cum modicæ sit magnitudinis stentoream habet vocem, & quæ instar tintinabuli ad dimidiam pene leucam exaudiatur. ^{Guirapanga.}

Macucagua superat gallinas Europæas magnitudine, phasianæ avi non absimilis, ^{Macucagua.} cujus nomine à Lusitanis insignitur, triplici cute munita est, habetque largam carnem & imprimis delicatam, ponit bis quotannis tredecim aut quindecim ova; graditur quidem humi sed ad conspectum hominum petit arbores, multæ illius reperiuntur species, quæ facile capiuntur. Lærius videtur hanc *Macacovam* appellare, quam perdicis speciem facit.

⁴⁰ *Mutu* (inquit Author Lusitanus) gallinæ est species admodum domestica, cri- ^{Mutu.} stam gerit instar galli, nigris atque albis punctulis interstinctam, ova illius sunt grandia, alba & ita dura, ut inter se collisa instar ferri tinniant, quare barbari Maracas suas ex illis conficiunt: canibus illarum ossa sunt lethalia, hominibus nihil nocent. Lærius scribit, duo genera exquisitarum avium hic reperiri, quibus nomen est *Mouton*, Pavonum magnitudine, pluma nigra & leucopæata: itemque maximam gallinarum, quas vocant Indicas, multitudinem, quas barbari vocant *Arignaoufon*, sicuti nostrates vocant *Arignau-miri*.


Perdicum (inquit Author Lusitanus) quas *Vru* vocant barbari, ingens copia hic ^{Uru.} est, uti & turturum (*Paicacu* à *Tovoupinambantiis* appellari scribit Lærius) columbarum, turdorum, neque multum discrepant ab Europæis.

⁵⁰ In mediterraneis provinciis plurimi reperiuntur struthiones, barbari suo idiomate nominant *Andugoacu*. Inter rapaces aves numeratur, magnæ molis & tam clamosa, ut ad dimidiam leucam audiatur, tota nigra, pulchris oculis, rostro galli gallinacei, cui cornu impositum palmi pene longitudine, quod eis qui linguæ vitio laborant, ad collum appensum occulta quadam naturæ vi mederi, experientia volunt comprobatum.


Reperiuntur hic quoque Aquilæ, accipitres, vultures & similes aves quæ raptu vivunt, sed ita feræ omnes ut nulla industria cicurari aut doceri possint.

*Arbores fructiferae Brasiliae, aliaque à variis Authoribus descriptae.*Acaiou.
cap. 24.

INTER fructiferas harum regionum arbores excellit *Acajou*, quam Christophorus à Costa ita describit: Malum punicam aequat hæc arbor magnitudine; folium illius viret delutius & carnosum est: flos candidus, similis fere mali aureæ flori, sed pluribus foliis constans, nec adeo odoratus. Præbet hæc arbor fructum *Cajou* vulgo appellatum; qui quoniam boni saporis est & ventriculo utilis, ab omnibus multum æstimatur. Est autem hic fructus magni mali instar, valde flavus & odoratus, intus spongiosus & succi plenus, sine ullis granis, gustu subdulci, nonnihil tamen fauces coarctante. Sed duplicem habet eodem anno ortum, hac ratione: marcescente flore subsequitur faba prægrandis, inter quam & florem, intumescit quiddam malo simile, quod paulatim fabæ succum ad se pertrahit; quoque majus incrementum sumit, eo faba sive nux magis minuitur, donec fructus *Cajou* hoc est malum illud plenam consecutum fuerit maturitatem, quod è colore flavo aut rufo (nam uterque color in his malis conspicitur) & odore deprehenditur; maturo fructui nihilominus inhæret faba illa & cum illo colligitur. Hæc ille: Fructum hunc elegantissime & accurate pictum nacti illum in tabella exprimendum curavimus & hic adjungi.



Porro nux hæc quæ in extremo fructu prominet, renis leporini forma est (inquit Clusius) colore cinereo, interdum ex cinereo rubescente. Duplici autem constat cortice, inter quos spongiosa quædam est materia, olei asperrimi & calidissimi plena, intus vero nucleum candidum continet esui aptum, & pistaceis saporis suavitate non cedentem, pellicula cinericea obductum, quam adimere oportet. Eo leviter tosto vescuntur incolæ, gratior enim est & venerem stimulare creditur. Acri illo oleo nihil præstantius esse ferunt ad lychenes & impetigines tollendas. Incolæ certe utuntur illo adversus scabiem. Iconem nucis ita exprimendam curavit Clarissimus Vir Carolus Clusius, tum integræ tum dimidiatæ.



Porro Author Lusitanus quem hætenus hic ut plurimum secutus sum, tribuit huic arbori florem rubrum: & lignum hujus arboris ne foco quidem satis idoneum dicit; verum gummi quoddam fundere, quo pictores utantur; corticemque tingendis gossypinis filis, atque fictilibus vasis utiliter adhiberi: eundemque in aqua cum æramentis ad tertiam partem ebullitum, egregie mederi malignis ulceribus.

Manga-
ba.

Mangaba arboris ingens visitur copia, circa sinum omnium Sanctorum, rarius alibi reperitur: Est autem cortice Fago, frondibus Fraxino non dissimilis, sempervirens & valde amæna. Fert fructus bis quotannis, primum in tubere, tunc enim non floret, sed tuber est illius fructus; deinde primo producit florem Iasmino similem, sed multo fragrantiores; cui succedit fructus præcocius magnitudine, exteriori parte flavus, & punctulis quibusdam nigris distinctus; interius sunt nuclei aliquot, qui una cum cortice manducantur. Gratissimus est palato, salubris & adeo levis, ut maxima copia sine ulla noxa comedatur: decidit antequam plene maturuerit, ideoque seponitur ab indigenis, donec mitigetur, qui vinum quoddam ex hisce fructibus exprimunt: frondes autem atque fructus nondum maturi fundunt lacteum quendam succum viscosum atque amarum.

Arbor quæ fructum fert, quem Indigenæ suo idiomate vocant *Murucuge*, procerat est

est & pyro sylvestri admodum similis; fructus illius habet longum scapum; decerpitur viridis, ubi autem fuerit mitigatus, optimi est saporis & facilis digestionis. Solent autem Indigenæ arborem prouere, ut facilius fructus colligant, quare rariores reperiuntur: è trunco autem inciso emanat lacteus quidam liquor, qui constipatus ceræ usum in tabulis consignandis possit præbere.

Earum autem arborum, quæ *Aracas* ferunt, id est, exigua pyra, maxima est copia, atque varietas, quædam enim flavos, quædam rubros, nonnulla & virides ferunt fructus; idque omnibus anni mensibus: palato sunt gratissimi ob aciditatem.

Ombu patula est arbor, sed humilior: fert fructum similem pruno albo, sed paulo rotundior & subflavescentem: dentibus supra modum noxium, ita ut barbari crebrius illis vescentes plerumque dentium jacturam patientur. Comedunt quoque vulgo radices hujus arboris, quæ dulces sunt instar Sacchari, frigida qualitatis atque salubres, ita ut inter refrigerantia à Medicis præscribantur iis qui febribus aut alio morbo calido laborant.

Iacapucaya numeratur inter procerissimas harum regionum arbores, fert fructum similem scypho cum suo operculo; intus autem continet aliquot castaneas, mirrobalanis non ab similes; operculum deducit se sponte ubi maturuerint, ita ut fructus excidant; si quis autem multum vescatur incoctis, ei crines toto corpore defluent; at tosti nequaquam nocebunt: putamina usurpant loco calicum: materies arboris durissima est & putredini minimum obnoxia, unde ad axes in molendinis Saccharariis vulgo illa utuntur Portugalli.

Araticu arbor aurantiæ mali magnitudine, foliis citrei: fert fructum magnitudine pineæ nucis odoratum & palato apprime gratum, quique haud facile nauseam pariat: Variæ illius observantur species, & inter illas una quam nominant *Araticu panania*; cujus fructus admodum frigidus judicatur, & si crebrius sumatur, non minus noxius quam venenum: materies hujus arboris levis est instar suberis, ita ut apud barbaros eundem usum præstet.

Pequea, duæ recensentur species: una quæ fructum fert aurantio malo similem, crasso cortice, quo melleus quidam liquor continetur, dulcedine sua certans cum Saccharo, cui & nuclei aliquot sunt permixti. Alterius lignum judicatur omnium quæ in hisce regionibus nascuntur, longe durissimum & gravissimum, Lusitani vocant *Setim*, omnis putredinis expertus.

Iabaticaba arbor fert fructum, parem magnitudine Limoni, succo acidiori instar immaturæ; cortex quoque ab ima radice ad extremitatem usque ramorum exprimit eundem saporem; rara est arbor & quam tantum in *S. Vincentii* Præfectura dicunt reperiri.

Frequentes hîc reperiuntur arbores quæ Cocos nuces ferunt, non quidem locis sylvestribus, sed juxta barbarorum pagos & in pomariis.

Palmarum (inquit Author Lusitanus) supra viginti species à variis sunt observatæ, sed fructus illarum cum Cocis minime sunt comparandi. *Lerius* scribit quatuor aut quinque Palmarum genera hic inveniri, quarum frequentissimum in hisce partibus, à barbaris appelletur *Gerau*, proximum autem *Yri*.

In Mediterraneis, ultra Præfecturam *S. Vincentii* & versus *Paraguayum*, integræ visuntur Pinorum sylvæ, quæ fructus ferunt Europæis omnino similes, sed rotundiores & majores; nuclei autem salubres sunt & temperatioris qualitatis quam passim per Europam nati.

Gabueriba vasta est arbor, & propter balsamum quod fundit, summæ dignationis cortice leviter vulnerato, applicant Gossypium, in quod liquor sensim emanat, quem Lusitani vocant Balsamum, quia ad verum quam proxime accedit, recentibusque vulneribus utiliter medetur, optimeque olet: nam & luci in quibus hæ arbores nascuntur, fragrant quam jucundissime. Materies illius numeratur inter præstantissimas, ob durtiæ & pondus, singularemque usum quem præbet in ædificiis. Feræ ipsæ deterunt affricando arborum harum cortices, Medicinæ, ut verisimile fit, gratia. Reperitur autem potissimum arbor in Præfectura *S. Vincentii*, alibi autem rarissime.

Cupayba, arbor instar ficus, procera, crassa atque recta, quæque plurimum olei

continet: nam cortice tantū inciso, effundit magnam copiam limpidissimi olei, quale ex olivis exprimitur: Commendatur id imprimis ad vulnera curanda & cicatrices tollendas: sed tanta in his regionibus reperitur copia, ut etiam in elychniis usurpetur: Materies arboris inutilis. Oleum hoc vulgo appellatur *Copal-yua*; de quo videndus Carolus Clusius in commentariis ad Christophorum à Costa.

Ambayba arbor ficui itidem similis, sed humilior; reperitur fere in vepretis & arvis quæ quondam culta fuerunt, rarius aut numquam in sylvestribus: corticis interior superficies derafa & recentibus vulneribus, cortice superligato, imposita, quam celerrime eadem sanat: folia illius ita sunt scabra, ut lignis levigandis inserviant, materies plane ad opera inutilis.

Ambaigtinga alia ejusdem pene arboris species, quæ inter pinorum lucos reperitur, funditque liquorem quendam oleosum, de quo Monardes: Ibidem (inquit) colligitur liquor sive resina, quam vocant *Abjegnam* ex arboribus sylvestribus, quæ neque pinus neque cupressi possunt dici; sunt pinis altiores & cupressorum in modum rectæ. In harum cacumine enascuntur quædam vesiculæ, magnæ parvæque, quibus disruptis destillat guttatim liquor quidam mirabilis, quem Indi diligenter excipiunt conchis, sed tanto labore atque molestia, ut multi pluribus diebus vix pauxillum colligant. Ejus usus est in omnibus, ad quæ Balsamum usurpant; Consolidat enim optime vulnera, mitigatque dolores ex materia frigida & flatulenta prognatos: Utilis quoque est adversus stomachi vitia, ab humore frigido, aut flatibus genita, ex pauxillo vini albi sumtus. Author præterea Lusitanus, quem fere sequimur, commendat folia hujus arboris adversus vomitiones; & stomachi imbecillitatem oleo hoc exterius inuncto curari tradit: longe vero alium describit illius colligendi modum; & quem ante quoque de Balsamo tradidimus: nam & corticem & folia soli prius exposita contundi & in aqua tantisper ebulliri, donec omnis oleosa substantia supernatet, atque ita despumetur.

Igbucamici arbor Præfecturæ *S. Vincentii* per familiaris, fert fructum cidoneis malis similem, intus exiguis granis refertum, præsentissimum, ut ferunt, adversus dysenteriam remedium: dubito annon idem sit cum *Mamoerra*, de qua mox.

Igcicga, producit speciem mastyches, gratissimi odoris: cortice illius contuso edit liquorem quendam album, qui condensatus supplet vicem thuris, & emplastro adhibetur utiliter in affectibus frigidis. Est & alia ejusdem species, quam appellant *Igtaigcicam*, id est, mastychen duram instar lapidis; adeo enim dura & pellucida est illius resina, ut pene vitrum esse videatur: barbari communiter utuntur illa ad fictilia vasa incrustanda.

Curupicaiba arbor habet folia similia malo persicæ nostrati, quæ effundunt liquorem quendam lacteum ficulneo similem, singulare adversus vulnera & pustulas remedium: cortex autem illius vulneratus effundit viscum, quo barbari utuntur in volucris capiendis.

Caaroba arbor in hisce regionibus frequentissima, ejus folia nonnihil mastycata; pustulisque luis veneræ imposita, eas tam feliciter sanant, ut non facile recrudescant: lignum easdem vires adversus hunc morbum creditur obtinere quas radix Chinæ & lignum sanctum quod Antillæ insulæ producunt: è floribus autem componunt conservam ad eundem usum: Est & altera illius species quam appellant *Caorobmacorandibam*, cujus materies est cineracei coloris, & medulla longe durissima.

Iaburandiba quæ & *Betele* nominatur à barbaris, amat potissimum fluminum ripas; folia subministrant singulare remedium adversus omnes hepatis affectus, uti experientia est comprobatum.

Est & alia arbor *Beteles* nomine nota, priore paulo minor & frondibus orbicularibus, cujus radices vim quandam obtinent causticam, instar gingiberis; sedant dentium dolores gingivarum concavitatibus inditæ.

Anda, vasta atque elegans arbor, cujus lignum plurimi est usus: è fructu autem extrahunt barbari oleum quoddam, quo corpora sua inungere consueverunt, cortice autem ad pisces capiendos utuntur; aquâ enim, in qua maceratus fuerit, animales omnes veluti soporantur.

Ajuratibira arbutum tantum, ferens fructum rubrum, è quo barbari oleum ejusdem coloris conficiunt, quo corpora sua solent illinere.

Ajabutipita arbuscula quinque aut sex palmos alta, fert fructus similes Amygdalis, sed nigros, è quibus oleum ejusdem coloris exprimitur, quo infirmorum artus inungere barbaris perquam usitatum.

Ianipaba pulcherrima arbor & læte virens, mutat singulis mensibus frondes, quæ à juglandis foliis non multum differunt, fert fructus aurantiis malis forma similes, sapore malo cydoneo, in quibus singularis observatur facultas adversus dysenteriam, fructus hujus succus primo est albus, verum corporibus illitus brevi tempore ita nigrescit, ut mirum videatur; unde barbari eo utuntur pro atramento, cutemque illo insigniunt certis notis, Europæorum vestitus æmulantes; novem ut plurimum dies durat hic color, deinde evanescit: dicitur autem cutem egregie constipare atque indurare: immaturo quidem fructui hæc facultas, maturus nihil tale operatur.

Iequitinguacu arbor, fructus fert fragis similes, quibus seminis loco continetur durissima faba, orbicularis, nigra & instar Thracii lapidis resplendens, amarissimo cortice: supplet egregie vicem saponis, & detergit validius quam optimum smegma Lusitanicum.

In Mediterraneis juxta sinum omnium Sanctorum, ut vocant, locis siccis & inaquosis nascitur arbor vasta & patula, cujus ramis insunt foramina admodum profunda, quæ æstivis juxta & hybernis mensibus videntur plena humore quodam aquoso, qui numquam exundat, neque satis constat unde oriatur; & quod monstro simile, numquam minuitur, licet exhauriatur, ita ut non tantum fontis sed & modici rivuli locum suppleat: nam vel quingentis hominibus sub ea hospitari, bibere & lavare licet ad satietatem: est autem humor limpidus, sapidus, & divinitus provisum remedium iis qui per illa siticulosa iter habent.

Multæ præterea vastissimæ arbores passim hic reperiuntur in sylvis atque saltibus, è quibus barbari cymbas uniligneas excavant; multæ quoque quibus materies est durissima & nulli putredini obnoxia: & imprimis lignum, quod vocant Brasilianum, è quo maximum quæstum faciunt Portugalli: multa denique ligna odorata, ut *Iararanda*, sandalum, aliaque ejus generis.

C A P. IX.

Plures arbores Brasiliæ familiares, è Lerii atque Theveti commentariis.

ARBOR totius Brasiliæ celeberrima & à qua Regio nomen putatur sortita appellatur à barbaris *Araboutan* vel (ut scribit Thevetus) *Oraboutan*; adæquat quercum nostratam proceritate & ramorum copia; tantæ interdum crassitudinis, ut tres homines vix brachiis complecti possint: folia illius sunt buxeis persimilia: nullum fert fructum: cortex illius exteriori parte est gryseus; materies intus solidissima & rubicunda, minime humida, sed natura sicca, ita ut accensa parce admodum fumum edat: tingit egregie, adeo ut etiam cineres illius imprudenter lixivio admisti industria adeo tenaci colore rubente infecisse narret Lerius, ut licet sæpius abluta numquam colorem mutarent.

Ayri arbor, palmæ quidē persimilis quoad folia, caudice vero spinis acutissimis, acuum in modū, undique armato: fructus fert mediocri magnitudine, in cujus medio deprehenditur nucleus nivali albedine, non tamen edulis: *Ebeni* speciem credit Lerius, nam materies illius nigerrima est, dura adeoque gravis, ut aquæ injecta statim petat fundum; barbari adornant ex illa clavas suas; eademque & sagittas asperant. Thevetus appellat hanc arborem *Hairi*, illiusque Iconem dat quam hic adjungimus.

De materie illius scribit pene eadem, nisi quod *Ebeni* speciem haud opinatur, quia minus splendet etiam levigatum: fructus illius comparat pilis, traditque inferiore parte esse mucronatos; seque ma-





Ayri.

gnum horum fructuum numerum portasse in Galliam: an edules sint necne, non explicat: dubito autem an hujus arboris materies sit quam Portugalli vocant *Palo de Ferro*; habeo autem plurimas sagittas hoc ligno mucronatas, & durissimum esse & instar ferri penetrare experientia comprobavi.

Complura quoque (inquit *Lerius*) ligna reperiuntur in America, multiplicis coloris, quorum nomina singulatim edere non possum: nonnulla vidi buxæ colore, alia violaceo, alia candida instar chartæ, alia denique rubra, diversi à Brasilio generis: è quibus etiam clavas suas adornant barbari; unum quoque quod illi nominant

Copau. *Copau*, arbor juglandi nuci est persimilis, neque tamen fert nuces, materies autem levigata easdem maculas cum illa ostentat.

Adhæc nascitur in hisce regionibus, arbor eximie pulchritudinis, cujus materies adeo suavem spirat odorem, ut fragrantissimas rosas æmuletur. Contra adolescent hic alia, quam barbari vocant *Aovaj*, aut ut Thevetus scribit *Ahovaj*, teterrimum spargens odorem quum secatur, & qui vix ferri potest, propterea à barbaris nequidem ad pyras usurpatur: cæterum arbor est pyri magnitudine, foliis semper viventibus & mali nostratis non absimilibus: fructum fert mole modicæ castanæ, qui figura proxime accedit ad Græcorum litteram Δ, nucleus illius supra modum est venenatus; putamen durissimum & tinnulum; quare à barbaris loco tintinabulorum usurpantur, & brachiis cruribusque circumdantur ornatus gratiâ: eosdem fructus & clavis suis, & securibus aliisque instrumentis alligant. Iconem fructuum hic adjicimus, eleganter barbarum in modum concinnatorum.



Multæ quoque reperiuntur hic arbusculæ, præsertim juxta littora, quæ ferunt fructus nostratibus mespilis valde similes, sed valde periculosos; quare barbari, quum advenas ad eos colligendos accedere conspiciantur, crebro ingeminantes suum *Ypochi*, admonent ut ab iis abstineant.

Hiou-
rac *Hiouuræ* (inquit *Lerius*) cortex est semidigitali crassitudine, sapore gratus, præsertim recenter detractus, species est Guajaci quantum accepi à duobus pharmacopolis qui nobiscum mare transierant; eaque barbari utuntur ad luem veneream, quam vocant *Pians*. Modum exhibendi describit Thevetus, & addit fructum ferre modico pruno magnitudine parem, colore aureo, verum singulis tantum annis quindenis: intusque continere nucleum exiguum, suavem & delicatum, atque agris imprimis gratum. Cortex exteriori parte est argenteus, interiore subruber, fundit lacteum humorem quum recens detrahitur, sapore salis, sed ad glycerizæ saporem accedente.

Choyne

Choyne arbor barbaris appellata, mediocri est altitudine, foliis forma & viriditate lauri, pomis magnitudine capitis infantis, ad figuram ovorum struthiocameli accedentibus, non tamen edulibus, cortice ligneo, unde barbari ex eo conficiunt maracas suas atque alia itidem vasa.

Choyne.


Pacoaire (inquit *Lerius*) frutex est decem aut duodecim pedum altitudine, caudice femorali nonnunquam crassitudine, qui tamen adeo est tener, ut gladio uno ictu secetur, pomum vocant barbari *Paco* (& Lusitani *Bachoves*) palmi longitudine, forma cucumeri non absimile, ejusdemque coloris quum ad maturitatem pervenerit: hæc poma nascuntur ut plurimum viginti aut viginti quinque simul & confertim in singulis ramis; Iconem ad vivum expressam hic adjungimus: ubi maturuerit hic fructus, calyce avulso, ad modum recentis ficus, grumosus apparet; quo fit ut mandentibus ficum referat, & vel delicatissimas ficus Massilienses sapore longe superet. Foliorum forma lapathi aquatici foliis non est absimilis; tanta tamen magnitudine, ut longitudo ad sex, latitudo ad duos pedes extendatur, sunt autem adeo tenuia, ut venti paulo vehementioris flatu dissecentur, media tantum costa remanente, ita ut eminus conspicienti hi frutices plumis Struthiocamelinis ornati esse videantur. Thevetus vocat hunc fructum *Paquovere* & scribit caudicem illius raro altiore cubito assurgere, nec nisi semel fructus ferre. Clariss. Clusius in notis suis ad rariorum Plantarum Historiam opinatur, hunc fruticem eundem esse cum Platano, ab Oviedo descripto lib. VIII. cap. I. notas enim omnes quam optime convenire. Dalemchampus describit prolixè, sub *Musa* nomine, quem curiosus Lector consulat.

Meminit & Thevetus arboris, quam à barbaris scribit appellari *Vhebehasou*, ejusque exhibet Iconem, folia fert brassicæ non absimilia; fructum oblongum, quo apes mirum in modum delectantur, ideoque rarius permittunt ad maturitatem pervenire.


Idem & arborem *Peno-absou* describit, quæ fructum fert rotundum instar pilæ, pomi majoris magnitudine, continentem sex nuces amygdalis paulo latiores sed exiliores, quibus insunt nuclei, quos ad recentia vulnera curanda mirifice commendant barbari, cæterum ventriculo admodum noxii sunt.

Cariss. Vir Carolus Clusius, in posterioribus curis, quæ post obitum illius à *Raphelengis* sunt editæ, exhibet ex observationibus *Ioannis van Vffele* Iconem, & descriptionem duarum arborum, quas hic referre, operæ precium duxi.

Utraque arbor à Lusitanis dicitur *Mamoera*, unius quidem generis, sed sexudifferens,



Pacoaire.



l. 18. c. 77.

Vhebehasou.

Penoabsou.

rens, nam illarum altera, mas videlicet, sterilis est & flores duntaxat gerit à longis pediculis dependentes & racematim cohærentes, sambuci florum æmulos, ex albo flavescens, nullique rei fere utiles. Fœmina autem duntaxat fructum, nullum florem: adeo autem amicas inter se ferunt, ejusque esse naturæ, ut si longo intervallo sint sejunctæ nec fœmina marem vicinum habeat, etiam sterilis fiat nec ullum fructum ferat. Porro fœminæ truncus, circiter binos pedes crassus, ad novem pedum asurgit altitudinem, antequam fructum ferre incipiat, dehinc superna arboris pars fructu onusta conspicitur, & ab eo confertim nascente veluti cingitur ad novem interdum pedum altitudinem: fructus est rotundus & orbicularis, exigui peponis magnitudine atque formâ, carne ubi maturuerit flavescente, quam incolæ alvum laxandi causa solent manducare: plurima grana continet exigui pisi magnitudine; nigra & splendentia, nullius usus: folia prodeunt inter fructus longis pediculis subnixa, quorû forma ad Platani sive Aceris amplissima folia accedit. Quia autem inter maris & fœminæ, trunci & foliorum formam nulla est differentia, tantum fœminam cum dimidiato illius fructu hic appingendam curavimus. Quod nomen apud Indigenas obtineret, ignorabat qui observaverat, sed à Lusitanis qui in illa provincia habitant *Mamoera* appellari aiebat, fructum vero *Mamaon*, ab uberum, ut opinatur Clusius, similitudine, quæ Hispani Mamas & tetas vocant. Nascitur utraque hæc arbor in ea Americæ parte, in qua celebris ille sinus à Lusitanis *Baya de todos los Santos* appellatus, situs est. De quo suo loco. 20

Atque hæc hæctenus de arboribus fructiferis & quæ oleum aliquod sive refinam fundunt, paucisque sylvestribus, dicta sunt.

C A P. X.

*Herbæ, plantæ, radicesque edules Brasiliæ ex iisdem Authoribus.*Mandio-
ca.


ORDINARIUS harum Regionum, ut ita dicam, panis est *Mandioca* (ut author Lusitanus vocat) radix instar pastinacæ aut *Caryota*, verum longior atque crassior: præducit certos caules, ad quindecim interdum palmarum altitudinem, tenerrimos & medulla candida & internodiis, in singulos palmos, distinctos, è quibus abruptis & terræ insitis, sex aut novem mensium spacio, maximæ radices enascuntur. Variæ autem reperiuntur illius species, omnes edules: atque hæc radices durant sub terra multos annos sine ulla cultura, & quo annosiores sunt, eo crassiores. Observandum autem imprimis, omnia animantia, hominibus solum exceptis, radicem hanc appetere crudam, eaque impingescere & commodissimè nutriri: verum si contusa fuerit & humorem illius solum hauriant statim emori. Ex hisce radicibus defœcatis atque contusis, primo farinam deinde & pollinem deducunt, è qua candida & delicata coquunt liba: eandem farinam aqua temperatam & coactam in pastillos, super craticulas fumo indurant atque exsiccant, atque in penù quandiu liber recondunt; inde ubi opus est repurgant, contunduntque in pollinem, ita candidam ut cum triticea certet, & certa quantitate recentioris farinæ admista, pinsunt panes bis coctos, quibus barbari in bellicis expeditionibus, Portugalli in navalibus utuntur. Aliud quoque bis cocti genus adornant ex mero recentium radicum in pila contusarum succo, eoque aut ad solem coacto atque siccato, aut ad ignem tosto; quod candidissimum est & delicatissimum, neque ad vulgi usum comparatum. Ex eadem *Mandioca* fumo arefacta, varias componunt potiones, quas barbari vocant *Mingæs*, adeo salubres ut restaurantium loco ægrotantibus propinentur; è polline vero varias cupedias & admixto oryza polline panes fermentatos, triticeis omnino pares. Eandem ad fumum ita siccata antidotum & antipharmacum autumant, adversus venenatos anguium morsus. Inter *Mandiocæ* species censetur una, quam vocant *Aypi*, quæ etiam cruda nequaquam nocet, è qua barbari componunt potionem frigidiusculam & hepatis perutilem, ita ut illius beneficio barbaros raro hepatis affectibus laborare opinentur. Quidam autem barbari, ex *Tapujarum* gente, etiam priore *Mandiocæ* specie vescuntur cruda sine ulla noxa, quia illi victui à teneris assueverunt. *Lerius* vocat has radices *Maniot* & *Aypi*; Thevetus *Manihot*: *Lerius* comparat folia illius Pæoniæ foliis, Thevetus Patæ Leonis. *Lerius* denique scribit 30
40
50

Aypi.


scribit duplex farinæ genus ex illis confici; unum durum atque percoctum, quod *Ovyentam*; alterum mollius & minus coctum, quod *Ovy-pou* vocent barbari: pulmentum quoque, quod à barbaris vocatur *Mingant* (credo idem esse cum *Mingaes*) quod pingui jure dilutum non male referat oryzam: Deniq; hæ radices dicuntur aliis Americanis & præsertim Insularibus *Yuca*, de qua alibi quoque dicendum erit.

Nana (inquit author Lusitanus) herba est hic admodum communis foliis Aloes, sed gracilioribus & magis aculeatis, è medio illius prodit fructus, pineæ nuci similis, 10 elegantissimis & versicoloribus floribus undique ornatus; fragrantissimi odoris, & gratissimus palato; plenus succi instar melonis; fertur adversus nephriticos dolores singulare medicamentum; sed febricitantibus censetur noxius. Americani exprimunt ex hoc fructu delicatum & generosum vinum: cortex illius dicitur ferri aciem obtundere, succus autem maculas è vestibis abstergere. Recens nauseantibus in mari auxiliari dicitur. 20 Tanta autem in Brasilia nascitur copia, ut barbari illis porcos suos faginent. Thevetus similiter vocat *Nanas*, *Lerius Ananas*: licet autem Europæis jam nomine sit notissimus, & Iconem illius jam dederint alii, tamen eandem ab Hispano expressam hic adjungere non abs re visum.

Pacoba, quam ficum Adami vocant, utrum potius herba an potius arbuscula sit dicenda, ambiguum est; nam in summam 30 altitudinem excrescit, sed caulis illius est tenerior & porosus, folia illius pulchra & nonnunquam cubitum & amplius longa, eleganter striata, levia, læte virentia atque frigidiuscula, ita ut febricitantibus substrata, æstum dicantur temperare. caulis se spargit in plurimos ramulos, quibus racematim annascuntur fructus, similes ficibus, magno numero, qui ubi maturuerint, pediculo inciso cui racemus innititur, auferuntur, aliis subinde succrescentibus pene in infinitum: fructus autem maturus flavi est coloris, grati saporis atq; 40 salubris præsertim febricitantibus & sanguinem eructantibus. Jam potius inducor ut credam, hunc fructum à Clariss. Viro Carolo Clusio expressum libro *Exoticor.* primo capite undecimo; licet alibi secus judicaverim, ideoq; Iconem hic repetere visum. Erat (inquit *Clusius*) hic ramulus cum suo fructu in uvarum modum quasi congesto, desiccatus, durus, crasso cortice tectus, gracilis & digitalis longitudinis, coloris ex fusco cineracei, octo fructus exiguorum ficuum instar, 50 crasso brevisque pediculo subnixos summo fastigio sustinens fulginosi coloris, cineraceis maculis conspersos, duros & satis solidos. *Iustus Raphelengius* in appendice ad Herbarium Dodonæi comparat cum *Musa Serapionis* & certe descriptio, quam supra ex Authore Lusitano expressimus cum *Musæ* notis & Icone quam exhibet egregie convenit, nisi quod



Nana.



L. v. c. III.


fructus

fructus, quos Clusius expressit, nonnihil à Musæ fructibus differant. Iudicent Herbariæ reiperiti.

Murucu-
ca.

Murucuca, herba pulchra aspectu, præsertim quum floret, adversus parietes atque arbores hæderæ in modum enititur; ejus folia cum pauxillo Chalcanti contusa, mirum in modum sanant maligna ulcera: fructum fert orbicularem, nonnumquam & ovalem, flavum, nigrum, fuscum & diversicolorem, intus autem continet nucleos, mucilage quadam obritos, grati saporis, sed acidiusculi; fructus est quantivis precii. Ante aliquot annos à nautis nostris accepi duos fructus, ovali forma, cortice lignoso subfusco, quos hujus plantæ fructus suspicor. nam intus continet quamplurimos nucleos forma renis ovillæ, pulpa quadam sub alba tectos, quæ acidioris est sa-¹⁰poris & aquæ imposita & aliquandiu macerata resolvitur in mucilage, apertus autem nucleus exiguum continet nucem, flavi coloris.

Reperiuntur præterea in hisce regionibus multæ radices edules, uti *Potati*, *Mammara* atque *Cara*, instar raparum. Diversa quoque legumina; fabæ Lusitanicis multo, ut putant salubriores; phaseolorum variæ species; quarum hic unam è Clar. Viri Caroli Clusii Exoticis adferre, operæ precium visum, cujus Iconem & descriptionem adjicit ejusmodi.



Prælongus (inquit) erat hic lobus; nam decem unciarum longitudinem habebat, unius autem uncia latitudinem²⁰ aut paulo ampliorem, cartilaginea cute tectus erat, & quaternis in dorso nervis, à pediculo ad extremum lobum secundum longitudinem excurrentibus insignitus, fusci extrinsecus coloris, intrinsecus ex cineraceo candicantis, tenui quadam membrana singulas phaseolorum sedes (decem autem continuerat) distinguente. Ipsi vero phaseoli unciam longi, semunciam lati, spadicei coloris & circa³⁰ hilum fuscum candicantis. Hæc ille. Habeo autem similes lobos nuperrime è Brasilia allatos, in quibus phaseoli nigri coloris, & diversicolores atque elegantissimis maculis distincti; unde manifestum est, naturam ibi non minus quam alibi in coloribus phaseolorum diversimode ludere.

Pepones hic inveniuntur tam vastæ molis, ut indigenæ iis utantur pro vasis,⁴⁰ quibus aquam aggerunt: variæ item species milii, è quo panes, potum, aliaque conficiunt barbari: alunt iisdem & equos, atque faginant suos.

Tajaoba herba, uti barbarorum idiomate dicitur, non absimilis est brassicæ

nostrati, hanc purgandi facultate præditam tradunt.

Iambig.

Iambig herba, eis qui hepatis vitio, aut calculo laborant admodum salutaris.

Multæ species piperis imprimis siliquastri, sapore non ingrato.

Ictigecu-
cu.

Ictigecu mechoacan (de quo alibi diximus) non absimilis est radici, raphani lon-⁵⁰gitudine, sed spissior; purgandi quoque virtute prædita: contusa sumitur è vino adversus febres; itemque cum gallina cocta: Solent eandem & Saccharo condire: unicum illi vitium, quod sitim conciliare putatur, alioqui utilissima & magnæ virtutis.

Igpecaya

Igpecaya aut *Pigaya*, dysenterix traditur opportune mederi; caulis illius semicubitum longus, eadem & radicis prolixitas; producit ut plurimum tantum quatuor aut quinque folia, gravis atque ingrati odoris: radice autem contusa & in aqua per noctem

noctem sub dio relicta, è qua mane per cribrum eliquata exhibetur ægro, eumque purgat ad eum modum, ut simul ventris profluvium sistat.

Nuperrime admodum (inquit author Lusitanus) observata fuit herba *Cayapia*, unicum pene & singulare remedium adversus venena, præsertim serpentum, unde Herba anguis appellatur, & unicornu, *Bezaar de Coco Maldiviensi* virtute neutiquam inferior. Radix nimirum, quæ gracilis est & nodo quodam in medio distincta, qui nodus contusus & cum aqua potus, potenter resistit anguium veneno, & à venenatis sagittis ictos securos facit; folia illius spirant de se odorem ficulneis frondibus haud dissimilem.

10 *Tyroqui* sive *Tareroqui*, herba est, foliis ocymi, radice in multas lacinias divisa, ramulis teneris, floribus è rubro subrufescentibus, qui ab ipsis extremitatibus erumpunt: magna hujus ubique visitur copia; ubi primum secta fuerit flavescit, mox paulatim candicat, laudatur imprimis adversus dysenteriam. Barbari autem ægotantes hujus herbæ fumo se affari volunt, valetudini id prodesse autumant: singulare itidem censetur remedium adversus lumbricos, familiare hisce regionibus malum: Herba hæc noctu veluti marcescit, & sole exoriente rursus se deducit.

Embeguaca herba, habet radices interdum triginta & plures cubitos longas, cortice duro, è quibus hîc funes nauticos contorquent, admodum validos, quippe qui sub aquis revirescant. Cortices autem contusi & prunis ardentibus impositi, suffimio suo sistunt sanguinis defluxum, præsertim in fœminis.

20 *Caaobetinga*, exigua herbula, paucula folia protrudit ab ipsa radice, inferiori parte candicantia, superiori virentia: fert flosculum instar avellanæ: radices & folia contusa dicuntur vulnera consolidare, folia quoque integra vulneribus imposita, eisdem firmiter adhærescunt.

Cobaura herba, malignis & inveteratis ulceribus dicitur mederi, si contusa aut in cineres redacta eisdem aspergatur, tollit enim malignitatem atque superinduit novam cutem: folia quoque virentia contusa, cutem egregie restaurant.

Guaraquimya, myrtum refert Lusitanicam; præter alias autem insignes illius facultates, seminibus illius peculiaris hæc virtus tribuitur, ut deglutita quantocius lumbricos ex intestinis depellant.

30 *Camara catimba* florem fert pulcherrimum, (qui redolet muscum,) & similem *Caryophylleo*; aqua autem in qua folia hujus herbæ decocta fuerint, egregie sanat ulcera & pustulas atque recentia vulnera.

Aipo, apium est Lusitanicum, easdem obtinet vires; reperitur tantum in maritimis provinciis & juxta oram maris, potissimum autem in Præfectura *S. Vincentii* & fluminis *Januarii*; sapore tamen est magis austero, quam Europæum, haud dubio propter maris vicinitatem.

Malva quoque hisce regionibus est familiaris, fert flores exquisitè rubentes, ita ut rosæ videantur.

40 *Caraguata* carduorum species, fructum fert flavum, qui digitum longus, & crudus ori objectus labia excoriat, verum coctus aut tostus, non offendit aut nocet: sed prægnantes facit abortire. Est & alia ejusdem species, foliis pandis, quæ duas aut tres interdum orgyas sunt longa; fructum fert instar *Nanae*, sed insipidum; ejus folia macerata & subacta, subministrant linum quoddam tenuissimum, è quo barbari fila sua piscatoria concinnant, est enim admodum tenax.

50 *Timbo* mirabilis herba, quæ instar funis ad altissimarum arborum fastigia enitur, easque hederæ in modum complectitur, interdum cruris humani crassitie, adeo tamen flexilis & valida, ut quoquo modo constringas nunquam rumpatur: ejus cortex est lethale venenum, quo barbari ad pisces capiendos abutuntur; nam cortex flumini injectus, virus suum longe lateque spargit, quo pisces omnes statim emoriuntur.

Multæ præterea reperiuntur hic herbæ, quæ in medicina usurpati possunt; plurimæ odoratæ, uti mentha, præsertim in provincia *Paratininga*; oryganum, aliæque, verum non tam suaviter olent, quam in Hispania; quod clymatis vitio imputant, solo ut plurimum nimis humido, nisi forte & nimio solis æstui tribuendum fuerit.

Flores quoque hîc varii, lilia candida atque rubra, alique ejus generis.



Canna.

Cannarum denique & arundinum hic ingens invenitur copia & varietas: præsertim *Tucnara* femoris humani crassitie; aliæ in summam altitudinem excrescunt, quæ in sylvis ut plurimum reperiuntur, folique humiditate nutritæ, tantisper enituntur donec fastigia arborum superaverint: occupant interdum multa jugera atque adeo integras provincias: barbari autem maxime amant mediocres arundines, quia sagittas suas ex iis componunt. Hactenus pene ex Authore Lusitano, nisi quod convenientia ex aliis quoque admiscuimus.

CAP. XI.

Aliæ aliquot Plantæ Brasilienses à Lerio, Theveto, Clusioque: 10
 & *Phalangii monstrosa species.*

MIROR Authorem Lusitanum nullam mentionem facere *Manobi*, quod à *Lerio* ita describitur; Barbaris quoque fructuum genus est, quod vocant *Manobi*, qui sub terra nascuntur more tuberum; devinciunturque inter se tenuibus filamentis, continent nucleum avellanæ magnitudine & sapore; putamen illius haud firmitus est siliqua pisi ficca, colore autem leucopæo.



An vero folia, semenque proferat, quamvis sædus eo vesci mihi contigerit, non tamen adeo est à me observatum, ut meminisse possim: Hæc ille: Nos fructus hos è Brasilia nacti, Iconem accurate exprimendam curavimus, ea mole qua erant.

Crescit hic quoque (inquit *Lerius*) fabæ quoddam genus, pollicis crassitudine, quod à barbaris nominatur *Commenda-ovasson*; pisa quoque alba & leucopæa, quæ vocant *Commenda-miri*.

Thevetus autem recenset fabarum quandam speciem, planè candidam, planam & nostratibus latiore atque longiore. Earum aliquot è Brasilia nactus Icones earum exprimendas curavi: differunt autem



à nostratibus non tantum illo, quod planiores longe sint, verum etiam quod superiore parte nullum umbelicum, ut *Dodonæus* vocat, ostentent; alioquin germinationis indicium, ut in nostratibus manifeste apparet. Eæ autem quas accepi, colore differunt, non forma, sunt enim aliæ prorsus albæ, aliæ dilutè candido flavescentes, aliæ obscurè purpureæ; omnium autem cutis admodum nitet.


Cum *Ullissipone* essem (inquit *Clusius*) donatus sum phaseoli genere, ex Brasilia allato admodum recenti, pollicari latitudine, crasso, colore rufescente, magno hylo & parte extrema veluti sessili, ejusmodi quatuor aut quinque singulis siliquis prægrandibus continentur, qui recentes & adhuc virentes tusi & impositi bubones venereos curare dicuntur: flore traditur ex rubro pallescente: ego duntaxat juniorem plantam vidi mihi è semine natam, quæ foliis phaseolo vulgari fere similis erat, nisi quod minora erant & averfa parte, tenui, molli fuscaque lanugine obsita, præsertim tenuiora folia & extremi caules: Brasiliani vocant *Macouna*.

Macou-
na.

Vidi etiam (inquit *Idem*) non procul *Ullissipone* in monasterio quodam Phaseoli genus vulgari nostrati adeo simile, ut nostrum putarem: pergulas istic vestiebat opere topiario, flore purpureo; at siliquæ scabræ erant, breviores & duplo latiores quam nostræ vulgares: fructus exiguus, pisi vulgaris magnitudine, totus niger nisi qua siliquæ adhærebat, quæ candida erat. Brasilianis frequentem esse audiebam, & Lusitanis istic habitantibus *Fava brava*, id est, fabam sylvestrem appellari; utriusque Iconem expressit in commentariis ad *Monardem*. Vidi jam in Belgio nostro natos phaseolos, qui itidem è Brasilia erant allati, quorum folia à nostratibus nihil differunt, flores autem sunt elegantissimi coloris rubicundi aut qui in malis aureis cernitur, conferti & plures ad longissimos pediculos: siliquæ autem sunt scabræ, breviores quidem quam vulgares sed latiores phaseoli denique

phaseoli denique sunt colore cæruleo valde saturo & pene nigro, multo majores vulgaribus, cæterum ejusdem formæ: vidi eosdem planè candidos, & floribus ad eundem modum compositis & itidem candidis aut subflavis, elegantissimæ sunt plantæ & quæ pergulas opere topiario pulcherrimè possunt ornare.


Non possum omittere quin hic adjungam, longè maximum phaseoli genus ex eadem Brasilia allatum; siliqua est duas uncias lata; & semipedem longa, fusci coloris ad nigredinem accedentis, quatuor interstitiis divisa, & quum recens esset, lanugine quadam subrufa tecta; continet quatuor phaseolos, magno hylo, convexa parte nigricantes, ad oras flavescentes: sunt & qui lætè rubent; quidam etiam
10 nigris quibusdam notulis distincti: cortice admodum crasso; sapore nostratibus Phaseolis valde similes. Iconem hujus siliquæ & phaseoli accurate expressam adjungo.



30 Piperis porro Americani, quod maxime in Brasilia crescit, species duodecim recenset Clariss. Clusius in curis posterioribus: Matthiolus vocat hanc plantam siliquastrum, Clusius Capsicum; foliis perparum differt, sed siliquis multum, nam aliæ siliquæ erectæ sunt, rotundæ, pyramidalesque: aliæ pendulæ, rotundæ, ceraforum modo, oblongæ & rugosæ: aliæ denique pendulæ itidem, sed recurvæ aut bifurcatæ. Sed de hac planta supra plura diximus sub nomine *Chilles* aut *Axi*. Hic tantum addam ex Lerio; Barbaros Brasilienses cum sale, quem optime conficere norunt, piper illud conterere, compositionemque illam vocare *Iouquet*, qua haud secus utuntur in cibariis, quam nos sale; non tamen intingunt illi buccellam, sed post
40 buccellam ori ingestam, *Iouquet* summis digitis apprehensum inferunt ori. Iouquet.

Præter *Maniot* & *Aypi*, etiam alias habent radices (inquit *Lerius*) quas appellant *Hetich*, quarum æque ferax est Brasiliense solum atque Lemovicense aut Sabaudicum est raparum: sunt autem plerumque crassitudine duorum pugnorum. Licet primo aspectu è terra evulsæ unius generis esse videantur, quia tamen inter coquendum, aliæ violaceum, aliæ aureum, aliæ denique album colorem induunt, trium esse generum autumo: Ut ut sit, vere possum affirmare has radices, præsertim quæ aureo sunt colore, sub cineribus coctas piris nostris vel optimis nequaquam cedere: Earum folia, quæ hederæ terrestri modo humi serpunt, foliis cucumerum aut latissimorum spinaceorum simillima (Thevetus comparat malvæ foliis) differunt tamen colore, qui propius accedit ad vitem albam: cæterum quia semine carent, barbaræ mulieres, quibus id curæ est, ferunt minutatim concisas; quæ frustula non multò post totidem crassas radices gignunt. Tametsi quia cibarium est illius terræ præcipuum, passimque peregrinantibus occurrunt, etiam sponte nasci existimo.

Non abs re fuerit hisce Plantis subjungere Phalangium monstruosum, cujus Clarissimus Clusius sequentem Iconem & descriptionem exhibet in curis posterioribus.



In Brasiliæ parte ubi sinus est omnium Sanctorum (*Bahia de todos los Santos*) observabat honestissimus vir *Ioannes van Vfele*, Phalangium quoddam sive aranei genus non vulgare, sed monstrosum: Nam quum Plinius omnibus araneorum generibus, terna duntaxat internodia in cruribus tribuat, & Phalangio corpus exiguum; hoc plura in singulis cruribus habet 10 internodia; nam præter articulationem, qua corpori conjungitur, quaterna habent & bifidos insuper veluti ungues, ut exigui cancri crura pene referre videantur. Totum autem cor-

pus tres uncias sive pollices longum, unciam aut paulo amplius latum fusci quidem coloris, sed totum hirsutum, densisque & longis pilis nigris undique tectum, medio dorso habens foramen conspicuum tanquam umbelicum, in ambitu similibus pilis præditum, caput sive anterior corporis pars tota similibus pilis densè obsita, quemadmodum & posterior sive alvus, quæ unciam longa crassiorque est, atque bifido mucrone videtur prædita: media corporis parte in utroque latere quina habet crura, similibus pilis hirsuta & quatuor internodiis satis conspicuis distincta, quæ rubro colore infecta sunt ut etiam ungues: breviter, valde monstrosum est hoc animalculum & ita noxium, ut incolæ contactum illius formident ac fugiant. Hæc ille. Pervenit ad nos ejusmodi araneus vivus, qui ex Insula *S. Alexii*, quæ continenti Brasiliæ objacet, (ut mox dicetur,) erat allatus quem jam duos pene menses servamus, è quo formam & compositionem corporis paulo accuratius licuit observare; est ea mole quam descripsit Clariss. Clusius, aut etiam paulo major; crura illi sunt totidem, quot ille numerat, sed bina anteriora, paulo sunt minora & breviora; internodia habet quatuor præter pedes; sed neque internodia neque ungues rubro colore distincta possu- 30 mus observare, neque ungues, ut vocat, bifidos esse satis apparet, quanquam de his ambigo: neque corpus ita densis pilis est obsitum, sed rarioribus, præsertim posterior pars sive alvus, quæ aliqua parte nuda est & luridi coloris sive subfusci, quem vulgo vocant *Menin*; umbelicum habet in dorso, sed non ita patentem aut conspicuum, verum contractiorem; telas quoque nere observavimus posterioribus illis bifidis veluti caudis: habemus & mortuum, è quo notavimus, illum juxta os utrimque habere veluti tubercula bina, quibus conclusi sunt singuli dentes instar unguicularum, quales habent minores aviculæ, incurvos, corneos & nigerrimo colore nitentes: vivum autem numquam illos exerere vidimus, licet varia illi objecerimus insecta & muscas quibus vesci solet hoc genus animantium: supra os autem habet veluti 40 quam celerrime, si liber è pyxide dimittatur, & statim nere incipit, conclusus nihil tale molitur.

C A P. XII.

Pisces marini Brasiliensium ex Authore Lusitano & aliis.

INTER Pisces Brasiliensium excellit *Manati*, cujus Iconem & descriptionem jam dedimus.

Beyupira.

Beyupira piscis est similis sturioni Lusitanico, quem barbari merito magni faciunt, est enim præpinguis, boni saporis, atque salubris; eorum infinita hic reperitur copia: capiuntur autem hamis in alto mari, sex aut septem palmos longi, teretes, nigro dorso, ventre candido.

Boopes.

Boopes mole atque effigie Thunnis Hispanicis similes, pingues admodum, secantur in modum Thurmorum, condiunturque: axungia illorum à suilla non abludit, è qua

è qua oleum quoddam sive butyrum conficitur; oculis sunt bovillis, unde ipsis nomen.

Camurupi, præcipuis annumerandus, pinguis & gratissimi saporis, multis spinis per totum corpus sparſis, pinnam habet in dorſo longiſſimam ſemper erectam, corpus longum & ſatis amplum, uti vix à duobus viris attollatur; capiuntur fuſcina ferrea: multumque pinguedinis & olei inde deducitur.

Camurupi.

Piraembu piſcis, quaſi tertentem dicas, à ronchis quos edit; octo aut novem palmos longus, gratiſaporis & magni pretii; obtinet intra os duos lapides, palmam latos & validos, quibus buccinas quibus vivit, committit; barbari hos magni faciunt & geſtant circa collum pro monilibus.


Piraembu.

Sunt præterea plures hîc piſces, noſtro orbi ignoti, grati ſaporis & non inſalubres: magna quoque nonnullorum copia, qui & in noſtro mari capiuntur, uti quos Portugalli vocant *Tainhas*, quos recentes, plurimum prodeſſe obſervarunt adverſus anguium morſus: Cyprinorum marinorum varia genera, quos Pargos & ſargos vocant Luſitani: *Cicharri* è ſcombrorum genere: *Garazes*, *Acus*, *Rhaie* & ſimiles.

Inter eos quoque excellunt, quos Luſitani & alii vocant *Doradas*; à barbaris autem appellantur *Waraka pemme*, ut accepimus à quodam noſtratum, qui & piſcis hujus Iconem ad vivum eleganter expreſſerat, quam hic ſubjungimus.

Dorada.

Waraka pemme.



Descripſerunt illum diligenter varii authores, præſertim *Rondeletius* & *Aldrovandus*, Icones tamen nonnihil differunt à noſtra.

Piſces autem omnes (inquit Author Luſitanus) in hiſce regionibus ita ſalubres judicantur, ut neque febricitantibus noceant.

Quia autem littus tot habet reſeſſus, ſinus atque elyces, adeoque piſcoſum eſt mare, cetorum ingens copia huc annatat, præſertim à Majo ad Septembrem, ibidemque & parere & fœtus ſuos educare creduntur. Sunt qui Ambar grifeum quod hic non raro reperitur, à cetis rejici opinentur; quanquam alii ab ipsis fluctibus in littus propelli exiſtiment: nam fere poſt grandiores tempeſtates invenitur: omnia animantia id ſummopere appetunt, itaque ceſſante tempeſtate ſtatim illud indagare, cautio eſt, ne ab animantibus comedatur, multa quoque cete non raro vadis hærent & æſtu relabente deſtituuntur in ſicco, è quibus magna vis olei deducitur. Sunt autem fere ex eorum genere, quos *Phyſiteres* vocant. Priſtes quoque toto hoc mari frequentes, vel potius *Xiphii* ſive ferræ piſces, immanes bellæ, roſtro lato inſtar gladii & multis acutis dentibus utrimque ferrato, longitudinis interdum tricubitalis, quo cete, cum quibus bellum gerunt, sæpe vulnerant ad necem.

Maxima circa hæc littora *Teſtudinum* marinarum copia, quæ ova ſua in littore deponunt, interdum ducenta, nonnunquam & trecenta, magnitudine gallinarum ovis paria, rotunda atque alba, ſed valida tantum membrana teſta; quæ arena contegunt, donec excludantur. In tantam autem molem excrescunt, ut nonnunquam reperiantur, quas decem viri nequeant attollere: noſſimæ jam ſunt Europæis.

Tuberones quos vocant hic pene infiniti, crudele animal & quod multis in mari natantibus exitium adfert: plura illorum genera; quorum quædam hic & in fluminibus reperiantur: in mari autem capiuntur fuſcinis; habent autem ſemper comites

pisces diversicolores, quos Lusitani vocant *Pelgrimes*. Barbari asperant sagittas suas dentibus hujus piscis, sunt enim acuti & venenati, ita ut raro sanentur, qui illis fuerint vulnerati.

Volatiles pisces, palmum majorem plerumque longi, pulcherrima oculorum acie, instar gemmæ, capite eleganti, alis versperilionum, argentei coloris; cæteris piscibus admodum obnoxii, quos dum fugitant, attollunt sese è mari, & non raro præcipitant se in naves, bono, uti nautæ vulgo judicant, omine.

Salmones hic admodum rari, neque cum Europæis conferendi. Soleæ autem rarissima quæ nisi antea bene pulsata, carne sunt flaccida, minusque delicata.

Amaya-
cu.


Rana piscatrix sive marina, quam barbari vocant *Amayacu*, piscis brevis & tantum palmum longus, pictus, pulchris oculis, ab aquis extractus ronchum quendam edit atque inflatur, virus enim illi est cutem inter atque carnem, qua detracta sine noxa comeditur, alioquin lethalis. Venenum illius præsentissimum exitium affert gliribus. Est & aliud harum genus, aculeatum instar erinacii, admodum venenatum, cute tamen detracta comeditur, & contra dysenteriam valere creditur.

Itaoca.

Denique est aliud genus, quod barbaris dicitur *Itaoca*, triangulari corpore instar pugionis, oculis cæruleis, venenum illi in cute, jecore, intestinis, spinisque, quibus demtis innoxius est piscis.

Puraque.

Puraque barbarorum, videtur *Torpedo*, nam contactus inducit artibus torporem instar paralytios & si quis baculum admoverit, ejus brachium resolvitur, enectus autem edulis est, neque ullum illi virus. Pene inducor eundem esse, aut saltem ejusdem speciei, cujus Iconem ad vivum in Brasilia expressam hic exhibemus:



Aravva-
vvapeb-
be.
Carama-
ru.

quamvis ille qui pinxerat mihi retulerit à barbaris hunc appellari *Arava wapebbe*. *Caramaru* similes sunt anguibus marinis qui circa littora Lusitanica reperiuntur, decem aut quindecim palmos longi, præpingues, ita ut assi porcinam sapiant; dentes ipsi portentosi, quorum morsus valdè sunt noxii, nam membra quibus impeerint, putrescunt deciduntque; habet plures aculeos. Indigenæ produnt cum terrestribus anguibus consuescere, idque sæpius ab ipsis observatum fuisse.

Amorea-
tii.

Amoreatii Ranæ piscatrici non absimilis, multis aculeis aspera, abscondit se ad littus sub arena, pedesque supergradientium vulnerat, præsentis vitæ discrimine nisi cauterio subveniatur.

Amaya-
curub.

Ama-curub, à callis, quos barbari vocant *Curub*, dictus, quos habet toto corpore frequentes, teres est & pisci quem Portugalli vocant *Bugallo* similis, & supra modum virulentus.

Ierepo-
monga.

Ierepomonga anguis itidem marinus, qui plerumque sub fluctibus immotus jacet, quæcunque autem animantia illum contigerint, tam arcte ipsi agglutinantur, ut ægre avelli possint, his alitur: nonnunquam & ex undis in littus erepit, contrahitque se, si quis autem manum admoveat, statim adhærescit, & si alteram adhibeat ut se absolvat, ad eundem modum tenetur; anguisque statim se distendit in magnam molem, & prædam suam in mare abripiens, depascitur.

Tritones

Tritones aut *Nereides* vocant barbari *Ypupiapra*, horrentque hæc monstra tantopere,

pere, ut nonnunquam solo metu emoriantur; expriment enim (ut ferunt) humanum vultum egregie, nisi quod oculos habeant profundius insitos; fœmellæ quoque longam dicuntur habere cæsariem & faciem elegantiolem; agunt ut plurimum in ostiis atque æstuariis fluminum; visunturque frequentius sub *Iagoaripe* septem octove leucis à sinu omnium Sanctorum, uti & juxta *Portum Securum*, ubi multos barbaros interemisse dicuntur, medios enim complexi tam arcte constringunt, ut spiritum ipsis excludant, neque id de industria, uti videtur, sed singulari affectu, nam gemitum quendam edere audiuntur, postquam occiderint, aut saltem subducunt se, neque delibant quicquam de cadavere, nisi forte oculos, aut nasi & digitorum extrema, aut denique pudenda; idque eo argumento quod à monstris hisce intereremti, ubi rursus in littus ejecti fuerint; plerumque his membris mutilati conspiciantur.

Plena sunt omnino hæc maria sepiis, quibus atramentum est pro sanguine; nec minor lolliginum & grandium urticarum in vicino oceano numerus.

Lerius porro observat, omnes pisces in genere à Brasiliensibus appellari *Pira*: Mullorum autem duo hic reperiri genera; quæ barbaris dicuntur *Kurema* & *Parati*; utraque optimi saporis, tum elixa, tum tosta. Quoniam autem nullis natura videtur inditum, gregatim ad littora annatare, sagittis illos petunt barbari, & non raro tam certa manu, ut duos tresve uno ictu figant, transfixos natando eunt quæsitum, ut qui mergi nequeant. Horum caro est admodum friabilis, quo fit ut magno numero captos *Boucan*, ut vocant, imponant, & siccent, exsuccosque redigant in farinam, quam ipsi magni faciunt.

Camãroupony-ovassou piscis est prægrandis, & maxime edulis, barbari carminibus celebrant illum in suis Choreis.

Duo insuper illis sunt piscium genera, quæ nominant *Ovara* & *Acara-Ovassou*, à *Ovara* superiore haud multum diversa, sed quæ bonitate vincant, nam ausim (inquit *Lerius*) affirmare, *Ovaram* Salari nostro haud multum concedere.

Acarapep piscis est planus, qui inter coquendum, pinguedinem quandam emit tit subflavam quæ illis est pro condimento, cæterum carne est optima.


Acarabouten piscis est viscosus, colore cervino aut subrubro, cedit tamen piscibus superioribus bonitate, sapitque minus palato.

Pyra-ypouchi piscis est longus instar anguillæ, estque minime edulis, quod etiam Americanorum *Ypouchi* indicat; qua voce monent, ab eo esse abstinendum.

Raia quæ in *Ganabara*; id est, *Rio de Ienero* sinu, & vicino mari capiuntur, non modo à nostratibus differunt magnitudine, sed etiam eo potissimum quod duo oblonga gerant cornua, & præterea quinque aut sex fissuras habeant sub ventre, quas industria factas credas, ita concinnæ sunt: cauda oblonga est & tenuis atque adeo venenata. *Thevetus* scribit à barbaris appellari *Inevoueam*.

Accepi præterea à quodam Juvene nostrate, pingendi satis perito, tres Icones aliorum piscium qui passim in hoc mari capiuntur, quorum licet tantum nomina & Icones mihi subministraverit, nec naturam & qualitates plenius potuerit explicare, tamen non putavi, eorum Icones hic omittendas, donec cætera plenius nobis liqueant.


Unum eorum cujus Iconem hic subijcimus, appellari dicebat *Vbirre*.




Vbirre.

Avvah-
kattoe
sive Iah-
vve.

Alterum autem *Avvah-kattoe* sive *Iahwe*, qui ad orbium classem videtur referendus, forma eleganti. Iconem vide.



Pira V-
toevvah.



Tertium denique *Pira Vtoevvah*, forma monstrosa, qui & ipse ex orbium genere esse videtur. De quo nihil præter Iconem accepimus.

C A P. XIII.

Crustacei Testaceique pisces, item arbores littorales aut marinae, nec non Aves marinae.

Apula.

A *Pula* è crustaceorum genere, cannæ internodio similis, rarius hic reperitur, non modo cibo idonea sed & medicinæ, lienis enim affectibus mederi dicitur pulvis illius jejuno stomacho haustus.

Vza.

Vza è Cancrorum genere, in luto juxta littora pene hærent infinitæ, ordinarius & maxime communis non modo Brasiliensium sed & Nigritarum victus, boni sunt saporis & salubres, si quis frigidam superhauserit.

Guainumu.

Guainumu grandiusculum cancrorum genus, ore tam patulo ut pedem humanum admittat, edule & potius terrestre quam aquatile animal, quum in cavernis juxta littora degant: ad tonitruorum auditum è latibulis suis proreptant, & tantum inter se excitant strepitum, ut barbaris terrori sint, hostes adesse suspicantibus, sunt enim admodum meticulosi barbari.

Aratu.

Aratu ejusdem speciei, in concavis arborum littoralium truncis se abscondunt, studiose observantes ostrea & mytilos, quibus hiantibus singulari industria ingerunt lapillum, atque ita nullo negotio devorant. Plures hîc aliæ reperiuntur Cancrorum species, quibus omnibus barbari avidè vescuntur.

Ostreorum ingens hic copia, in quibus nonnunquam inveniuntur uniones. Barbari olim magnam illorum copiam colligebant & carne exempta, testas juxta littora aggerabant, unde non raro monticelli satis alti ejusmodi testarum variis locis visuntur, herbis atque arbutis nonnunquam & grandioribus quoque arboribus vestiti, è quibus Portugalli optimam & candidissimam calcem conficiunt, qua passim pro cemento

cemento in ædificiis utuntur, pluviatili autem aqua aspersa facile nigrescit. His accedunt muscoli, quorum conchis concava parte argentei coloris, barbari cochlearium & cultrorum vice utuntur.

Grandiores turbines, ipsis *Guatapiguasu*, faciunt maximi, certant enim cum ebore & à barbaris pro musicis instrumentis usurpantur. Alteram earundem speciem vocant *Piraguaig*, quorum interdum integri tumuli à fluctibus in littore aggregantur, mirum visu. Buccinæ denique, pectines, aliaque omnis generis elegantissima conchilia hic magno reperiuntur numero.

Coralli candidi hic ingens copia sub fluctibus reperitur, colore tantum à vero
10 abludens, difficillime tamen à petris avellitur, neque est operæpretium.

Marinis arboribus annumerant *Manguas*, quia magno numero juxta littora & Oceani recessus reperiuntur, foliis referunt nostros salices, semper virentes, materie gravi atque durissima, fere instar ferri; sub hisce culicum quoddam genus reperitur, vocant *Maregues*, exiguum quidem, verum tam acriter pungens, ut pestis harum regionum merito judicetur; neque vestibus se arceri patiuntur: unicum remedium est aut fumo abigere, aut fumo corpus oblinere, quod barbari facere solent. Aliis *Mangle* dicitur hæc arbor, alibique à nobis fuit descripta ex Oviedo.

Inter aves quæ in mari victitant, ducit agmen *Guiratinga*, grui magnitudine par, plumis candidis, rostro prolixo atque acuto, crocei coloris, cruribus oblongis, è ru-
20 bro subflavis, collum illius vestitur plumulis tam subtilibus & elegantibus, ut cum struthionum plumis certent.

Caripira caudam habet bifurcatam, unde & nomen invenit apud Hispanos *Rabo forcado*, ejus plumis mirum in modum delectantur barbari, ut sagittis suis adhibeant, longo enim tempore durare ab ipsis observatum. Reperitur autem non tantum hic, sed & alibi passim in utraque India, ita ut vulgo jam notissima sit. Refert *Franciscus Ximenes*, adipem hujus avis, singulare remedium esse ad cicatrices faciei delendas; imprimis autem valere adversus artritidis dolores: verum avem difficilem esse captu nisi forte in deserta aliqua insula, ubi pullos suos excludunt; narrat se aliquando una donatum, cujus remigium alarum, distentum ad eum modum quo volant, amplius
30 spacium implebat quam mortalis ullus distento utroque brachio possit complecti.

Laros vocant barbari *Guacas*, tanta autem eorum multitudo atque varietas littora atque vicinas arbores hic obsidet, ut pene incredibile videatur.

Guirateonteon avis epilepsiæ admodum obnoxia, à quo & nomen meruit apud barbaros, quasi dicas avem sæpius morientem rursusque resurgentem; alioquin candidis & pulcherrimis plumis vestita.

Calcamar columbæ magnitudine, sed volandi nescia, alarum atque pedum remigio secat fluctus per velociter, in quibus & ova sua ponere & excludere affirmant barbari: malaciæ & pluviarum sunt prænuntia, atque eo tempore tanto numero circumfluitant naves, ut à nautis fastidiantur.

40 *Ayaya* picæ magnitudine, longo rostro instar cochlearis, plumæ illius sunt candidis, rubrisque maculis eleganter suffusæ; singulari in pisciculis capiendis industria.

Caracura exili corpore, subcinerei coloris, pulchris oculis, iride eleganter rubente, ita vocalis, ut majoris longe molis quis opinaretur, ante solis ortum fere auditur illius cantus & sub vesperam, certo, ut volunt, serenitatis futuræ indicio.

Guara picæ magnitudine, oblongo rostro, & anteriore parte recurvo, longis pedibus; primum exclusa nigricat, deinde evadit cineracea, ubi autem volare incipit egregie candicat, sensim autem rubescit, donec ætate plumæ illius colorem induant purpuræ æmulum, quem ad senectam usque retinent. Pariunt quoque sub tectis; victitant piscibus, carnibus aliisque eduliis, semper aqua temperatis: barbari componunt
50 ex plumis illarum diademata sua aliaque ornamenta, ideoque maximi faciunt: gregatim volitant & soli expositæ pulcherrimum præbent spectaculum. Sunt & plures aves quæ è mari victum quærunt, etiam Europæis notæ, & inter illas Aquilarum genus, quas *Haliætos* vocamus.


Pisces aliquot fluviales, item angues aliaque animantia que in fluminibus degunt ex iisdem authoribus.

FLVMINA Brasiliæ (inquit Lerijs) abundant mediocribus & minimis piscibus, quos barbari sua lingua vocant *Paramiri* & *Acaramiri*; *miri* enim ipsorum idiomate sonat parvum: hujus generis duos paulo monstrosiores describunt tam Lerijs quam Thevetus.

Unum appellant barbari *Tamovata* sive *Tamoutiata*, est autem piscis palmi longitudine, halecibus nostris paulo minor, capite grosso & supra molem corporis; pinulas habet duas sub branchiis, dentes lucio nostro acutiores; adhæc durissimis squamis à capite ad extremam caudam instar *Armadillo* armatus, ut vix gladio pertundi possit. Carne est probatissima & gratissimi saporis.

Panapana.

Alterum nominant *Panapana*, mediocris longitudinis, cute inæquali atque aspera, qualis est canis marini, cæterum *Zygæna* sive *Lybella* quam Massilienses vocant *Cagnolam* plane similis, capite plano atque deformi & in duo veluti cornua deducto,



in quorum extremitatibus oculi emicant, ita ut longissimo spatio à seinvicem disjungan-
tur. Thevetus illius hanc exhibet Iconem.
quæ caudâ tantum differt ab Icone quam Bel-
lonius in sua de aquatilibus Historia expressit.
Rondeletius autem scribit, caudam in duas pin-
nas inæquales desinere, quod melius cum no-
stra Icone convenit. Aldrovandus exhibet duas
illius Icones, sed neutra convenit cum hæc
nostra.

Cururyuba.

Cururyuba (inquit Author Lusitanus) omnium anguium quos hæc regio nutrit longe maximus & pulcherrimus, non raro enim reperiuntur vigintiquinque & triginta pedes longi: Catenam habet supra dorsum ab occipitio ad extremum caudæ descendentem, variis coloribus eleganter descriptam: dentes caninos: si aut hominem aut feram possit rapere, integros haurit. Fidem superat, quod à barbaris narratur; ubi ventrem sagina impleverit, humi resupinam putrescere, ita ut corvi aliæque aves carnes illius penitus depascantur, solo sceletio reliquo; hinc autem novas carnes sponte renasci & ad pristinam formam atque molem redintegrari, quippe capite sub luto tantisper abscondito, in quo ipsi vitalis vis, ideoque barbaros quibus id gnarum, ubi sceleton illius aut putrescens cadaver invenerint, caput studiose rimari & è cæno erutum necare. Saturati etiam tam profunde obdormiscunt, ut sæpe à barbaris caudæ pars amputetur neque tamen expergiscantur.

Manima anguis, numquam egreditur ex aquis, præcedente interdum major, atque tam eleganter pictus, ut barbari morem pingendi corpora & exemplum ab illo se traxisse profiteantur: unde vulgo hunc anguem tanti faciunt, ut se longævos futuros inde argumententur, quod *Manima* se ipsis videndum dederit.

Crocodyli, quos indigenæ vocant *Iacare* hic quamplurimi & magnæ molis, ita ut interdum quindecim palmos longi hic capiantur.

Iagnarucu amphibium animal, bovis magnitudine, dentes habens quadrantem longos, hominibus infestum; frequenter reperitur in flumine *S. Francisci* & *Paraguæa*, alibi vero rarissime.

Atacape itidem amphibium animal, lupo minus sed multo atrocius, solet in terram egredi, ut homines intercipiat, & quum sit velocissimum, non raro opprimit ipsos atque devorat.

Iaguapopeba, viperæ sunt Portugallias omnino similes.

Zaziguemeiu modicum animalculum, cujus pellis in pretio habetur.

Bæapapina Tritonum species videtur, puerorum magnitudine & forma, frequens harum regionum fluminibus animal & innocuum.

Plurimi quoque hic reperiuntur porci fluviales, quos barbari vocant *Capygoara* porcorum

porcorum quidem magnitudine, sed forma nonnihil diversa, magnum satis lapidem habent sub palato, qui ipsis dentis majoris est loco; barbari appendunt illos liberorum suorum cervicibus loco monilis; carent cauda: crebro egrediuntur aquas & educant in terra catulos suos, victitant enim gramine & fructibus quos juxta ripas inveniunt.

In fluminibus item reperiuntur multæ conchæ, quas vocamus patellas, barbari *Igta*, quarum quædam cribra æquant magnitudine, atque illorum usum præbent barbaris, sunt intus argenteo colore, & continent interdum uniones. Igta.

Avium autem, quas Lusitani vocant *Cagados* ingens reperitur in fluminibus numerus, quarum ovis mirum in modum delectantur *Tapujes*, iisque victitant certis 10 anni tempestatibus.

Neque desunt hîc in fluminibus, paludibus, stagnis innumeræ *Ranæ*: quarum nonnullas, quas vocant *Guararicos*, tantopere metuunt & abhorrent barbari, ut fidem pene superet, nam solo auditu ita perterrentur, ut plerumque vivendi finem faciant, neque ullam consolationem admittant; ajunt enim splendorem quendam instar fulguris inter coaxandum emittere. Ranæ.

Anatum denique maxima hic copia, quas ut Lælius notat, barbari vocant *Vpec*, Vpec. verum raro atque illubenter illas comedunt, ob tarditatem animalium in gradiendo, quam ne sibi affricent, magnopere metuunt.

C A P. XV.

Animalia, arbores herbaque quas Lusitani primum intulerunt, è quibus tamen hodie maximum questum faciunt: itemque divisio Brasiliæ in suas præfecturas.

EQVORVM hic jam magna est copia & quidem tam præstantium, ut nonnulli ducentis, trecentisque ducatis venundentur & magno numero Angolam mittantur. Licet autem pascua hîc non admodum sint læta, & in Præfectura Portus Securi herba quædam succrescat, armentis lethalis, tamen passim in hisce provinciis, maximi eorumdem reperiuntur greges, ita ut non pauci Lusitani quingenta imo & 30 mille taurorum vaccarumve capita possideant, præsertim in campestribus *Paratiningæ*, ubi pascua magis abundant, incredibili pene incremento: porci & sues hic supra modum numero aucti; quorum caro tam est suavis atque salubris, ut etiam ægris ad dietam præscribatur.

Juxta sinum fluminis Januarii plurimæ pascuntur oves atque verveces, tanta interdum sagina, ut præ nimia pinguedine ilia ipsis rumpantur, sed caro illarum nequam tam opipara aut salubris quam Europæarum.

Capræ hic adhuc pauciores, capiunt tamen quotidie incrementum.

Gallinæ pene infinitæ, nam cœli temperiem satis commodam experiuntur & à 40 barbaris pariter atque Lusitanis aluntur perstudiose, majores quidem sunt Europæis, sed carne deteriore.

Anseres quoque multum adaucti, licet & suos habeat hæc regio, Europæis majores & longe meliores. Ex peregrinis autem animantibus nullum majoris faciunt barbari, quam canes, quos & studiose nutriunt, viri quidem ad venationem, fæminæ autem voluptatis gratia, nam instar puerorum circumgestant, & non raro lactant uberibus suis.

Arborum Europæarum, præsertim aurantiarum, limonum & limarum, citrearum & similium tanta hic jam est abundantia, ut integros saltus impleant, & fructus præ nimia copia vilescant: Formicæ tamen, quarum hic pene infinitus numerus, magnum hisce arboribus adferunt damnum. Plurimæ hic quoque ficus & variorum 50 generum.

In præfectura autem *S. Vincentii* & nominatim in campis *Paratiningæ*, itemque in Præfectura fluminis Januarii, cidoniarum malorum maxima nascitur copia, quæ quater singulis annis dant fructus maturos, incredibili fœcunditate. Neq; desiderantur vites, præsertim juxta sinum Januarii & in *Paratininga*, eximia ferè omnibus annis fertilitate; è quibus jam vinum premere conati sunt, sed non satis prospero successu.

Quid

Quid multa? omnes pene hortenses herbæ Europææ, flores, radicesque huc translata tantopere adoleverunt, ut domesticæ jam videri possint.

Triticum denique in Præfectura fluminis Januarii & campestribus *Paratininga* fatum adeo luxuriat, ut ex una interdum radice sexaginta & non raro octuaginta culmos surgere sit observatum, noxia fecunditate; nam quum continuo novi culmi succrescant, messis suo tempore absolvi non potest, quumque molendinis destituantur indigenæ, tritici usum pene abdicant.

Vereor ne nimis prolixi fuerimus in descriptione animalium, & plantarum hujus regionis, sed quia nobilissima est provincia, & descriptiones satis accuratæ, speramus nos apud curiosos lectores veniam inventuros. Nunc ad particularem provinciarum descriptionem nos accingemus.

Bella quæ Portugalli cum Indigenis harum regionum jam multis annis pene continua gesserunt, nequaquam ipsis permiserunt sedes in mediterraneis figere, sed pleræque ipsorum coloniæ, urbes atque arces juxta littora sunt dispositæ, longo satis inter se intervallo. In Præfecturarum, quas Lusitani hîc vocant *Capitanias*, numero tradendo variant scriptores, nam *Antonius Herrera* Hispanus, & *Popillinerius Gallus*, tantum novem numerant, licet uterque non nisi octo nominatim recenseat & describat: *Nicolaus vero de Oliveyra* Lusitanus, scribit Regem Hispaniarum Portugalliæ nomine in America possidere Brasiliam; eamque initium sumere à *Para* (de qua proximo libro agetur, sive ab ipso pene Æquatore, & desinere ad trigesimum & quintum gradum ab Æquatore versus Austrum: complectique secundum oræ maritimæ ductum maximo gyro leucas mille & unam supra quadraginta. Porro Regionem hanc sive Brasiliæ, sive alio quocunque nomine appelletur; dividi in quatuordecim *Capitanias*, *Param* nimirum, *Maranhaon*, *Ciaram*, *Rio Grande*, *Paraybam*, *Tamaracam*, *Pernambuco*, *Seregipen*, *Bahiam*, *Ilheos*, *Spirito Santo*, *Porto Seguro*, *Rio de Ieneyro*, & *San Vincente*: quarum sex ad dominos particulares pertineant, qui illas armis acquisiverunt; reliquæ octo sint Regis. Intervals porro inter has diversa esse, nam à prima quæ *Para* dicitur, ad secundam *Maranhaon*, centum & sexaginta leucas numerari; à *Maranhaon* autem ad *Ciaram* cxxv: à *Ciara* ad *Rio Grande* centum: à *R. Grande* ad *Paraybam* xlv: à *Parayba* ad *Tamaracam* xxv: à *Tamaraca* ad *Pernambucum* sex: à *Pernambuco* ad *Seregipen* lxx: à *Seregipe* ad *Bahiam* xxv: à *Bahia* ad *Ilheos* xxx: ab *Ilheos* ad *Porto Seguro* totidem: à *Porto Seguro* ad *Spiritu Santo* lxxv: à *Spiritu Santo* ad *R. de Ieneyro* lxxv: à *R. de Ieneyro* ad *San Vincente* lxxv. De quibus intervallis plura suis locis dicentur. Denique inter eas quæ particularibus Dominis parent sunt *Pernambuco* & *Tamaraca*. Nunc singularum Provinciarum descriptionem prosequemur factò initio à *S. Vincente*.

C A P. XVI.

Prima Præfectura quæ appellatur S. Vincente descriptio.

PRÆFECTURA *S. Vincentii* omnium maxime Australis est & provinciis fluminis *de la Plata* contermina, quarum descriptionem superiori libro absolvimus. Sita est ad altitudinem quatuor & viginti graduum, habetque ad mare & intra Continentem limites incertos aut non satis explicatos. *Iarricus* in suo Thesauro de hac Præfectura ita scribit: *Vincientiana* Præfectura in exiguo maris sinu, viginti quatuor gradibus latitudinis Australis in ora maritima sita est: quadraginta ab oppido Fluminis Januarii leucis remota Austrum versus. Sex septemve socii hic commorantur, qui sedulo & impigrè Lusitanorum simul & Brasiliensium saluti invigilant: hi in varios pagos dispersi sunt circumsecus oppidum; ad quos quotidie novi hinc inde incolæ sociorum opera confluunt. Sæpe quippe interiorem adeunt regionem ac præsertim *Carigios*, qui in ora maritima octuaginta circiter leucis à *Vincientiano* ad Austrum distant oppido, & ad ducentas propemodum leucas in eadem se ora extendunt, nam ad usque Flumen Argenteum pertingunt.

Gens est omnium Brasiliensium politissima cultissimaque, ut præter aliorum consuetudinem, ferarum exuviis cooperiantur. Forma sunt insigni & nonnulli certant candore cum Europæis. si quando ad eos commercii gratia profiscuntur Lusitani, sine ullo

ullo metu navigia ascendunt, ac vicissim Lusitani per eorum pagos securi discurrunt, quasi in propriis agerent domibus. Narrat deinde septuaginta illorum à Lusitanis fraude in servitutem abductos, & sociorum opera reductos anno cIoIoxcvi: Et barbaros hosce magno fidei zelo ardere, sed Portugallorum metu ad *Vincentianam* Præfecturam non audere accedere; atque inde iusto Dei iudicio fieri, ut hæc colonia atque aliæ omnes, quæ in Indigenas sunt inhumaniores, indies decrescant, aliæ vero quæ eisdem bene volunt & humaniores se exhibent, quotidie magis magisque efflorescant.

Indigenæ hujus Præfecturæ, Portugallorum amici, à *Ioanne Stadio* appellantur *Tupinikins*; qui ipsos montana incolere & ultra octuaginta leucas in Mediterraneis, quatuordecim
10 draginta autem juxta littus occupare prodidit: ad Austrum his sunt finitimi *Carioes*; ad Arctum autem *Tupinimba*, Portugallis supra modum infesti.

Patres Societatis, qui in hisce partibus degunt, in literis suis anniversariis faciunt mentionem nationis barbaræ, *Miramuminos* vocant, gentis vagæ, ferocis atque immanissimæ, quæ Portugallis jam ante multum damni intulerit, sed nunc sociorum opera paululum delinita, Portugallis amicior atque opportunior esse cœperit. Nihilominus
20 secius horum barbarorum incurfibus multum huic Præfecturæ decessit; potissimum tamen ipsorum Portugallorum in indigenas iniquitate, fraudibus atque sævitia: nam quum Religiosi omnibus modis satagant impedire ne indigenæ inhumanius à Portugallis tractentur, aut in miseram servitutem aliò traducantur, tamen Portugalli tam hic quam alibi, crudelitati atque dolis nullum ponunt modum, & non raro ipsorum Religiosorum habitu abutuntur, ut facilius miseros in castres suos attrahant, magno religionis Christianæ, uti par est credere, dispendio.

Urbs hujus Præfecturæ præcipua appellatur *Santos*, quadraginta circiter leucis à flumine Januarii versus meridiem distita, tres quatuorve ab oceano, in interiore recessu, ubi onerariæ majores in anchoris stare & onera sua exponere atque recipere percommode possunt: non admodum ampla est hæc urbs & non nisi octuaginta aut paulo pluribus constat domiciliis: varias vices experta; & à fortissimo Equite *Thoma Candishio* ann. cIoIoxcvi intercepta atque direpta, & supra duos menses possessa; inter cætera spolia non nihil auri repertum, quod à barbaris huc allatum fatebantur Portugalli, è loco *Mutinga* vulgo dicto, ubi nunc fodinas habere dicuntur Lusitani: tres villæ cum suis molendinis Saccharo conficiendo aptis, ad hanc urbem jam olim pertinebant. Accepi à Belga quodam qui superioribus annis hic vixerat: Urbem hanc sitam esse juxta cornu Insulæ *S. Amaro*, tribus leucis aut circiter à mari; vallo munitam esse ad ripam fluvii, qui hic circiter dimidiam leucam est latus & circiter quinque orgyas altus: præterea duo visi hic castella, unum ad latus Australe, alterum media urbis parte; ædes numerare centum aut paulo plures, incolas ducentos partim Portugallos, partim Mestizos: templumque habere parochiale, & monasterium Benedictinorum & domum Societatis. Aditus ad portum vocatur *Barra Grande*.

Altera urbs dicitur *S. Vincente*, tribus quatuorve milliaribus à priore distita versus Austrum, non inelegans oppidulum, sed portu non æque commodo, atque majoribus navigiis pene inaccessio: octo autem milliaribus ab hac intra Continentem, *Tanse* atque *Cavane* pagi incoluntur à Portugallis, frugum copia nobiles, & extremi dudum Portugallorum versus illam plagam limites. Accepi ab eodem Belga, oppidulum hoc continere sexaginta aut septuaginta ædes, & numerare circiter centum incolas qua Lusitanos qua Mestizos: & ad illam pertinere tres quatuorve machinas Saccharo conficiendo aptas.

Tertia urbs, ut Portugalli produnt, appellatur *Hitaubacin*: Belga autem ille præterea designat *Itangem* & *Cananeam*, quæ jacent à *S. Vincente* versus Austrum: *Itange* nimirum decem aut undecim leucis à *S. Vincentio*. *Cananea* circiter quadraginta: constat autem *Cananea* duobus aut tribus pagis sive municipiis, nequaquam munitis, quæ tantum minoribus navigiis possunt adiri.

Ora autem maritima ita se habet, ab elyce *S. Vincentii*, ad *Barram*, quam vocant, *Grandem* sunt tres leucæ per hanc ascendunt naves etiam grandissimæ ad urbem *Santos*; ab hac ad alteram *Barram*, quam vocant de *Britioca*, iv aut v leucæ magis versus Arctum; hanc *Britiocam* non nisi minora navigia possunt ascendere ad oppidum *Santos*; ad ipsum aditum super arenosum cornu jacet parva arx lapidea.

CAP. XVII.

*Particularior hujus Præfecturæ descriptio & de oppido**S. Pauli; & Insulis adjacentibus.*

AB urbe *Santos* flumen ascendentes circiter tres leucas, occurrunt altissima montium juga, quæ ab indigenis vocantur *Pernabiacaba*, extendunturque in longitudinem pene ad eundem modum, quo littus Marinum: fluvius autem continet intermedio spacio plures insulas, in quibus Lusitani prædia habent rustica, & multa viridaria: ascenditur autem minutioribus navigiis ad locum quem vocant *Cubatoa*; ubi fluvii aquæ potabiles sunt, nec supra duas leucas inde descendunt è dictis montibus, atque de clivis illorum præcipitant. Porro *Pernapiacaba* sunt vasti & prærupti montes, difficili circiter duarum horarum ascensu, tramite inter arbores, graduum in modum, exciso, & inter centum aut centum quinquaginta passus lato; à vertice autem montium pertinet via quæ ducit ad *S. Paulum* primo versus Austrum; dein recta ad Occidentem, per montes & sylvas sex aut septem leucis; secant hanc viam duo amniculi, qui extra sylvam coeunt, & relabuntur versus ortum, & condunt se denique in fluvium *Injambi*. Sylvam egressos ducit via circiter unam leucam versus occasum & deinceps quatuor aut quinque versus Arctum, ad oppidum *S. Pauli* usque, per campestria sine ullis sylvis. Oppidulum *S. Pauli* situm est super monticulum circiter centum & quinquaginta passus editum; ad cujus radicem duo amniculi labuntur, quorum unus descendit ab Austro, alter ab Occasu, atque hoc loco confluentes simul illabuntur in *Injambin*: amænissimum habet prospectum, versus Austrum atque Ortum, Arctumque in patientissimos campos; versus Occidentem in nemora: numerat centum aut paulo plures ædes, & circiter ducentos incolas qua Lusitanos qua Mestizos: unum templum parochiale, & duo monasteria Benedictinorum & Carmelitarum, & domum Patrum societatis. Quæstus potissimus hic fit ex pecuaria & agrorum cultura. Æstate quidem hic non nimium calet, aurâ quæ à montibus descendit æstum mitigante; hyeme vero non nihil alget, ita ut non raro hic glacies, & plerumque pruina conspiciatur. Solum longe lateque fecundissimum est & amœnissimum, campis, sylvis, collibus montibusque grata varietate distinctum; triticum quidem fert copiose, sed colore minus probato: cæterum armentis optimum: unde nihil hic desideratur præter falem, oleum & vinum.

Circiter leucam unam à *S. Paulo* versus Arctum labitur fluvius *Injambi*, satis latus, & minorum navigiorum patiens, piscosus quoque; oritur in Montanis *Pernapiacava* ad Ortum à *S. Paulo*; & descendit ad Occidentem; pluviis mensibus nonnumquam egreditur ripas & inundat humiliores campos. Ad Arctum ab hoc fluvio, extendunt se montes, in longitudinem quidem inter Ortum & Occasum leucis triginta aut quadraginta, in latitudinem vero nunc decem nunc duodecim, interdum & quindecim leucis. In hisce montibus sunt varix auri fodinæ, quod hic reperitur majoribus & minoribus granulis & etiam pulvere, æstimaturque communiter viginti & duobus caratiis.

Auri autem fodinæ superioribus annis inventæ, hæ commemorantur: *S. Iago* & *Santa Cruz* in montanis; *Perniacapava* quatuor aut quinque leucis à mari: *Geragua* circiter quinque leuc. à *S. Paulo* versus Arctum, & septendecim aut octodecim à mari: *Sierra dos Guarmumis* sex septemve leuc. à *S. Paulo* versus boream, & circiter viginti à mari: *Nostra Sennora de Monserrate* x aut xii leuc. à *S. Paulo* versus Corum, ubi grandia grana reperiuntur quæ interdum duas tresve uncias pendent: *Buturunde* duabus leucis à præcedentibus versus occasum: *Punta de Cattiva* triginta leucis à *S. Paulo* versus Africum.

Ab eodem oppido *S. Paulo* circiter triginta leucis versus Africum jacent montana *Berasucaba*, ferri venis scatentia; nec auri venarum indiga, quas Indigenæ *Cana-na* solent eruere. In montanis hisce jam oppidulum sunt moliti Lusitani, sed non magni precii, nomine *S. Philippi*: fluvius *Injambi* hic se dilatat, recipitque plures amnes tam ab Euro quam à Coro allabentes; & ita porro descendere dicitur in *Paranam*; minime tamen navigabilis usque ad utriusque confluentem, propter crebros cataractas.

crebros cataractas. Circiter quatuor aut quinque leucis à *S. Paulo* juxta viam quæ ducit ad *Berassuiabam*, jacet molendinum sacchari; quod omne hic consumitur in tragemata & confervas; quum longe maxima hîc nascatur cidoniorum malorum copia, & aliorum fructuum omnis generis.

Denique IV aut V leucis à *S. Paulo* versus ortum jacet indigenarum quidam pagus, inter quos pauci habitant Lusitani; situs est ad ripam fluminis *Injambi*, diciturque *S. Miguel*: ab hoc quatuor aut quinque leucis magis ad ortum occurrit pagus *Magimiri*, paucis tantum ædibus constans, haud longe à ripa *Injambi* & montanis *Pernipiacava*, aliquot leucis supra hunc pagum, inter conjugia montium *Pernipiacava* & eorum quos inter ortum atque occasum extendi diximus, oritur fluvius *Injambi* ex tribus quatuorve fontibus. Transcendentibus autem montes illos qui inter ortum & occasum jacent, occurrunt aliæ terræ & vastæ planicies, quæ secantur ab alio satis valido flumine quem vocant *Rio de Sorobis*, qui magna terrarum spacia pervagatus & de non uno cataracte præcipitans, tandem in Oceanum creditur descendere inter Promontorium frigidum & Spiritum Sanctum. Ab hoc autem fluvio versus occidentem jacent vastæ, sed nullis aut perpauca barbaris culturæ provinciæ campestris, per quas plures fluvii labuntur versus Africum, & ut par est credere in magnum flumen *de la Plata*; clauduntur autem versus Corum vastis & asperis montibus, in quibus fama est auri & argenti venas abscondi; & ex illis oriri aliquot fluvios, præsertim illum qui inter Bahiam & Pernambuco descendit in Oceanum & nominatur *Rio S. Francisco*.

Fluminis & portus *Santos* faucibus, viginti pene milliarium Anglicorum intervallo, adjacet Insula *S. Sebastiani*, oblonga & ampla; paulumque ab hac versus Austrum alia minor, alta, & *Alcatrassè* nomine nota. Inter autem dictam Insulam *S. Sebastiani* & continentem fida satis est statio, navibus quantumvis magnis, & adversus incerta ventorum egregiè munita; ipsa quoque insula aperit multos sinus; estque piscatio hic admodum copiosa & aquatio valde opportuna: cæterum densis sylvis atque vepretis pene in via advenas ab interiori sui cognitione arcet; præcipuus illius portus appellatur *Porto dos Castellanos*. Minores Insulas *Victorii*, & *dos Busios* indicasse suffecerit.

Denique ex adverso Insulæ *S. Sebastiani* ad Continentem habitant pauci Portugalli in pagulo haud magni precii. *Antonius Knivetus* Anglus, vocat *Iaquerequere*; nec longe inde alium pagum *Pianita* qui barbaris incolitur, quos appellat *Pories*. Hactenus de præfectura *S. Vincentii* quam noster patere vult, ab oppido Santos versus Austrum quidem quinquaginta leucis, ad Arctum vero quindecim aut viginti.

Ad eam quoque pertinet Paratiningensis colonia, decem aut duodecim leucis ab oppido *S. Vincentii*, intra Continentem & in campestribus quorum jam sæpius meminimus. In qua Jesuitæ Residentiam, ut vocant, habuerunt, quæ anno 1610 à barbaris direpta fuit atque everfa, sed postea haud dubio restaurata.

C A P. XVIII.

Præfectura fluminis Januarii vulgo Rio de Janeiro.

SECUNDA Brasiliæ præfectura nomen sortita est à flumine *Januarii*, vulgo *Rio de Janeiro*, quod eo mense primò à *Ioanne Diazio de Solis* anno 1600 XV fuerit aditum; qui illud secundum suam dimensionem collocat ad altitudinem duorum & viginti graduum & viginti scrupulorum versus Polum Antarcticum. Galli vero qui hunc locum colonia nobilitarunt sinum & fluvium appellant *Ganabaram*.

Hi primam ad hunc locum expeditionem susceperunt anno 1600 LV sub Præfecto *Villegagnone*, cum duabus onerariis, & appulerunt hic mense Novembri. Præfectus in ipsiis faucibus, quæ dimidium circiter milliare patent, altissimis montibus utrimque imminentibus, arcem ligneam exstruxit, super petram centum pedes longam, sexaginta latam, ibidemque machinas suas bellicas disposuit, ut aditum communiret. Flumen intus amplum, multis insulis amœnè virentibus passim interspersum, in quarum unam haud longe à prædicta petra suos colonos cum comœtu & reliquo apparatu bellico exposuit, ob suorum paucitatem & barbarorum multitudinem, in Continenti sedes figere metuens. Illa sexcentos passus in longitudinem,

centenos in latitudinem patebat, & pari pene intervallo utrimque aberat à Contiente, dulcium aquarum inops.

Secunda Classis quæ quamplurimos vehebat reformatæ religioni addictos, (quam & Villagagnon se sequi profitebatur) sub præfecto domino *du Pont*, solvit è Gallia mense Novembri anni c^{lo} I^o LVI, & permolesta navigatione usâ, mense demum Martio anni c^{lo} I^o LVII portum fuit invecâ. Secundam hanc navigationem prolixè descripsit *Ioannes Leri*, sicuti priorem *Andreas Thevetus*. Arcem autem petrae superædificatam uti diximus, Villegagnon nondum fraudum & scelerum manifestus, ad honorem Ammiralii *Francia*, appellaverat *Colligniam*. Ponitur autem hoc flumen & sinus illius à Gallis ad altitudinem trium & viginti graduum Australium, 10 atque ita describitur à *Ler*.

Quæ alii (inquit) de sinu isto scripserunt, prætermitto, eumque quatuor & viginti millibus passuum patere affirmo: In quibusdam vero locis in latitudinem crescere, donec quatuordecim aut sedecim conficiat: Et quamvis ii montes quibus cingitur, non adeo sunt excelsi, atque ii quos Genevensis lacus alluit, recte tamen cum illo comparari potest, ob viciniam undique terrarum. Ostium illius periculosum est, quia relicto mari, trium Insularum incultarum oræ sunt legendæ, unde magnum periculum navibus imminet, ne scopulis illis penitus frangantur. Deinde præternavigandum est fretum, quod quum trecentos passus in latitudinem non habeat, enascitur sinistrorsum è monte rupes pyramidis formam referens, quæ non modo immen- 20 sâ est magnitudinis, verum etiam eminus artificio quodam videtur elaborata. Propter ejus autem rotunditatem & quod ingenti turri persimilis esset, à Gallis *le pot de beure* fuerat appellata. Paulo ulterius intra sinum ipsum rupes extat satis plana, quæ in circuitu patet circiter cxx passus, hæc à nobis *le Rattier* dicebatur, quam Villagagnon cum primum appulisset, exposita suppellectile ac impedimentis muniri posse sperabat, vi tamen undarum inde pulsus est. Ea porro, quam incolebamus, insula, duobus est passuum millibus ulterior: hæc erat inculta ante Villegagnonis adventum: in circuitu circiter passus mille complectitur, latitudinem sexies superante longitudine, scopulisq; ad libellam summæ aquæ extantibus cingitur, qua de causa naves citra tormenti ja- 30 ctum accedere non possunt; estque hoc loco natura munitissima, ut adiri ne navigiis quidem possit nisi è portus latere, ex adverso ingredientis oceani: Hæc si diligenter custodita fuisset, nec expugnari nec intercipi potuisset, quemadmodum à reditu nostro à Lusitanis fuit occupata, illorum culpa qui ibidem relicti fuerant. Ab utraq; parte eminebat colliculus, in cujus fastigio Villagagnon tuguriolum exstruxerat: rupi vero l aut lx pedes in altitudinem porrectæ & ad insulæ centrum sitæ, suum imposuit prætorium; reliqua in planiciem redacta domiciliis cõtinebantur, quæ annumerata omni Vilagagnonis familia, lxxx circiter homines incolebant. Illa omnia si prætorium excipias aliquot fabrilibus tignis fabricatum, & propugnacula qualicunq; cemento obducta, parva erant tuguriola, prout Americani solent, lignis extructa rotundis, herbaq; contexta, &c. Ultra propugnaculum decem fere passuum millibus, pulcherrima ferti- 40 lissimaque insula jacet, quæ quum in circuitu xii mill. passuum pateret, magnæ insulæ nomen à nobis sortita est. Quinetiam quod à *Toroupinambautis* fœderatis incoleretur, eam frequenter petebamus ad exportandam farinam, aliaq; necessaria. Sunt præterea in illo sinu maris multæ insulæ incultæ, in quibus præstantissima ostrea reperiuntur.

Fluvius multorum piscium genere abundat, imprimis quam optimis nullis, sibus marinis & aliis mediocribus. Duo sunt etiam flumina, quæ ad extremitatem sinus, terra undique circumdata, cum eo conjunguntur. Hactenus *Ler*.

Atque hæc quidem Gallorum temporibus fuit hujus sinus conditio, qui inde à Portugallis pulsus, auspiciis *Emanuelis de Sa*, pulcherrimam occasionem rei bene gerendæ amiserunt, atque ex opulentis hisce provinciis fuerunt exclusi: nam quum Vilegagnoni nulla supplementa è Gallia fuissent submissa, & Portugalli ipsi imminerent, ipse in Galliam rediit, paucis militibus in castello suo relictis; qui Portugallis se dediderunt, & contra fidem datam, plerique fuerunt occisi, paucique tantum fuga se subdu- 50 xerunt, & inter barbaros latuerunt: hæc gesta anno c^{lo} I^o LVIII.

Portugalli autem, post Gallos pulsos, oppidum *S. Sebastiani* hic condiderunt, ad Australem angustarum illarū faucium plagam, ad altitudinem trium & viginti graduum & quin-

& quindecim scrupulorum versus Austrum, uti à nostratibus est observatum; circiter duorum milliarium intervallo ab Oceano, ad semicircularem sinum, quem penè universum occupat, loco plano quidem, sed utrimque montibus leniter ascendentibus munito; in longitudinem ita exprorecta ut vix dimidia hora obiri possit: in latitudinem autem vix decem aut duodecim ædes complectitur: Anno c^lo l^o c^{xviii} nondum silicibus strati erant calles; nullæ portæ, nulla mœnia circumducta: Sed defendunt illam adversus hostiles incurfus quatuor castella, quorum primum ad orientale faucium latus jacet super cliivum altissimæ rupis: secundum in insula à Continentis occidua plaga angusto freto disjuncta: hæc insula qua Eurum spectat, assurgit
 10 in rotundam petram ad conii modum: tertium itidem super petram ad latus urbis quod vulturum aspicit; ad ipsam sinus ripam: quartum denique ad latus urbis quod Corum spectat in acclivi colle. Cæterum urbs ipsa veluti in tres regiones divisa est; quarum una superior dici potest, in qua primarium templum & Collegium Patrum Societatis; altera inferior in convalle, vocant *Barrio de S. Antonio*: tertia denique ad ipsam sinus oram, ab interiori castello, ad cœnobium *S. Benedicti*.

Ad hoc oppidum pertinent quidem aliquot machinæ saccharo molendo aptæ, præcipua tamen commercia oppidanorum constant gossypio & ligno Brasiliano, & annona, aliisque rebus ad victum necessariis, quibus locus affluit.

In hoc fluminis Januarii oppido (inquit *Iarricus*) Collegium Societati Jesu fundavit Rex Portugalliæ Sebastianus, ut & cætera quæ in Brasilia sunt. Quinquaginta
 20 hic ut plurimum socii agunt, si annumeres qui in Residentiis hinc dependentibus commorantur. Theologia moralis & Latina lingua hic de superiore loco docentur, parvuli vero literas & legere & formare. Præter ea quæ Lusitanis impenduntur obsequia, duo magni Brasiliensium pagi haud procul ab oppido, in quibus duo & amplius hominum millia commorantur, sociorum curæ concrediti sunt, omnes siquidem illorum industria ad fidem transferant, & sacro fonte sunt abluti.

Idem narrat, anno c^lo l^o l^{xxx} Præfecto urbis cum multis suorum absente, hanc urbem à tribus Gallorum navibus insigni classiariorum numero instructis, frustra fuisse tentatam. Neque ulla, quod sciam, hæctenus insignis hanc urbem oppressit calamitas; Ad hanc Præfecturam pertinet Promontorium frigidum (vulgo *Cabo Frio*) juxta
 30 quod ingentes reperiuntur Crocodyli; & in interiori Continente aves quædam, quas appellant *Mudas*, gallopavorum magnitudine; & præterea ingens aprorum copia.

Montes autem ita scatent insectis quibusdam (quæ cimices aut pediculos inguinales egregie referunt) ut difficulter ab hominibus possint arceri.

Alterum hujus præfecturæ municipium vocatur *Angra dos Reyes*, distans ab ostio sinus Januarii duodecim aut circiter leucis versus Occidentem (ut Figueredus in nautico itinerario testatur) in continente situm è regione Insulæ quam vocant grandem, & alterius minoris quæ dicitur *Ipaja*: Ante paucos annos primum huc colonia à Portugallis fuit deducta: neque quicquam præterea de isto municipio accepimus; nisi
 40 quod quidam nostrorum me monuit, locum parvi admodum esse momenti.

Denique hujus Præfecturæ incolæ atque indigenæ quondam fuerunt *Tovoupinam Baultii*, ut Lærius atque Thevetus narrant, qui ipsorum ingenia, mores & instituta prolixè describunt; ad quos Lectores brevitatis gratia remitto. Ii jam penitus defecisse aut alio migrasse videntur, nam qui hodie circa *Marignanam* degunt, se ab hisce gloriantur oriundos; & certe ipsorum mores, habitusque corporis, & præsertim idioma, non vanam faciunt fidem, uti postea in descriptione Insulæ *Marignan* & Continentis illius obiter dicemus. Qui autem hodie juxta & in hac Præfectura degunt, variarum nationum colluvies esse videntur; sunt autem plerique Portugallis confæderati, atque admodum obnoxii; & maximam partem illorum mancipia.

50

C A P. XIX.

Tertia Brasiliæ Præfectura, Spiritu sancto, ut Portugalli vulgo vocant.

TERTIA Brasiliæ Capitania, appellatur à Portugallis *Spiritu sancto*: distat ab Æquatore versus polum Antarcticum, viginti gradibus; A flumine Januarii versus Arctum leucis sexaginta; à Portu autem securo versus Austrum cir-

citer quinquaginta. *Antonius Herrera* testatur hic tantum unum molendinum ad Saccharum conficiendum esse constructum, verum gossypii & ligni Brasiliæ quo tinctorum utuntur ditissimum hic vigere commercium. A ducentis aut paulo pluribus familiis Lusitanicis incolitur: Patres societatis hic quoque suam habent domum; Ad dextram portum ingredientibus castellum visitur exiguum neque admodum munitum: Sunt qui hic duo oppida à Lusitanis incolis tradant, & longe majorem oppidanorum prodant numerum.

Hæc Præfectura creditur longè fertilissima omnium provinciarum Brasiliæ & ab omnibus rebus quæ ad vitam humanam necessariæ sunt, instructissima: omnigenum piscium hic incredibilis est copia; ferarumque venatio nobilis, ob opportunitatem sylvarum & saltuum, & flumina quæ agrum illius grata vicissitudine interfecant.

Indigenæ barbari dicuntur *Margajates*, olim quidem Lusitanorum infensi hostes, nunc amici atque confœderati; horum mores atque instituta copiose quoque describit *Lerius*, sed quia non multum à reliquorum barbarorum vita atque moribus abluunt, ex iis quæ supra in communi diximus, æstimari possunt.

Provincias quæ hanc Præfecturam & flumen Januarii interjacent, secatur nobilis & piscosus admodum fluvius, quem *Paraybam* sive *Pareyvam* vocant, exiens in Oceanum ad altitudinem unius & viginti graduum ab Æquatore versus Austrum, (quibus aliqui addunt scrupula quadraginta, facili pro observantium diligentia aut oscitantia, lapsu,) populi qui juxta hunc degunt à nonnullis dicuntur *Paraybes*, à cæteris barbaris haud multum diversi. Atque ut obiter hoc moneam, tres omnino fluvii *Parayba* nomine ad hanc oram notantur, quorum prior inter flumen *de la Plata* & *S. Vincentii* præfecturam in mare evoluitur, de quo supra diximus: secundus est de quo jam agimus, quem harum regionum gnari in Mediterraneis procul à mari oriri & multis minoribus amnibus auctum hic Oceano misceri tradunt. Tertius est pene ad septentrionalem Brasiliæ plagam, de quo mox agemus.

Portus autem oppidi, prout nostrates observaverunt, ita se habet: Portus sese aperit ad modicum sinum, quem Continens hic admittit, ad Orientem expositum, in quo nonnullæ exiguæ insulæ sparsæ; aquilonari autem lateri rupes & vada objacent navigantibus insidiosa: Portum autem subituri primo observant præaltum montem, companæ formæ, quem Portugalli *Alva* nomine insigniunt, ad quem navigantes cursum suum dirigunt, situs est autem intra Continentem duabus circiter leucis à litore; deinde paulo propius littora stringentibus, turris candida in prærupto monte haud longe à mari sita visitur, Portugalli vocant *Nostra Sennora de Penna*, est enim Ecclesiola muro in ambitu cinctæ; sub qua olim municipium fuit, cujus adhuc aliquot ædès supersunt, appellant hodieque *Villam Veiam*, paulo ante quam ad hanc accedas, angustæ portus fauces subeundæ sunt, quas vadum, ab exigua & oblonga insula quæ ad Arcum jacet, descendens coarctat; has ingressis, jam liberior est navigatio & minus periculosa. Subeuntibus autem porro primo se ostendit ad dexterum latus, rupes è solo assurgens instar coni obtusi; deinde ad sinistram editus mons ad ipsam oram sese attollens, quem Portugalli vocant *Panem Sacchari*, quia forma egregie convenit; è regione ad dextrum portus latus, visitur exiguum munimentum quadratum, exigui momenti: Atque ita tandem pervenitur ad oppidum ipsum, quod conditum est ad dexterum portus latus, ad ipsam oram, circiter tribus leucis ab alto mari; nullis mœnibus vallove incinctum; ad Orientalem illius partem jacet monasterium cum sua Ecclesia, quod vocant *S. Bento*; circiter media parte urbis, & quidem supra ipsam visitur Ecclesia *S. Francisci*; denique extrema oppidi parte versus Occasum domus Iesuitarum cum suo templo.

Iarricus denique ita scribit de hac Præfectura: Quarta sociorum Residentia est in oppido *Sancti Spiritus*, quod in vicesimo latitudinis Australis situm est gradu, in ora maritima, ita ut Æquatori sit propius, quam oppidum fluminis Januarii à quo septuaginta distat leucis. Septem aut octo hinc ut plurimum agunt socii, interdum plures sex Brasiliensium pagis circumquaq; sitis hi præsumunt, in quibus decem Christianorum millia numerantur. Pagus autem haud procul inde, cui à tribus magis nomen ubi multi neophyti degunt. Vicini denique illis sunt barbari *Tapuja* atque *Apiapetanga*,

petanga, gentes feroces atque indomitæ, Lusitanis eorumque socijs supra modum infensi, quibus grave damnum nonnunquam inferunt.

C A P. XX.

Quarta Brasiliæ Præfectura quæ à Portugallis appellatur Porto Seguro.

QUARTA Brasiliæ Præfectura *Portus Securi* nomen hodieque retinet ab Alvaro Caprali jam olim inditum, quum afflictam classem hic subduxisset & primus Portugallorum has terras adnavigasset, uti jam ante diximus. Distat autem triginta leucis à Præfectura *Insularum*, ut vocant, versus Austrum; & quin-
10 quaginta à Præfectura *Spiritus Sancti* versus Arctum: ad altitudinem sedecim graduum & triginta scrupulorum ultra Æquatorem versus Austrum; ut communiter in nauticis itinerariis inveni annotatum.

Antonius Herrera tribuit huic Præfecturæ tria municipia; quorum unum *Sancti Amari*, alterum *S. Crucis* nomen præ se fert, tertium *Portus Securi* nomen servat atque famam: à paulo pluribus quam centum quinquaginta familiis Lusitanorum hæc habitari ferunt: licet quidam majorem numerum prodant; habent enim quinque aut sex molas saccharo conficiendo aptas.

Oppidum autem quod *Portus Securi* nomen servare diximus, conditum est in cacumine albicantis rupis, juxta quam cernitur terra admodum elata, ascendens ad ar-
20 ctuam plagam; ab altera vero parte planescit solum, & demum in humile atque arenosum sternitur litus.

Alterum oppidum *S. Crucis* distat à priori circiter tribus leucis, habetque portum modicum & minoribus tantum navigiis opportunum.

Præfectura hæc Ducis Averensis esse dicitur, ejus incolæ autem Lusitani, crebris navigationibus secundum littora, omnis generis annonam, qua hæc præfectura insigniter abundat, subvehunt cæteris Brasiliæ præfecturis, qui præcipuus illorum est quæstus.

Haud longe ab hoc littore, famosi & multorum periculo aut exitio nobiles scopuli & vadorum brevia, longissimo nec dum satis definito intervallo procurrunt in vastum Oceanum, *Abrolhos* vocant vulgo, à quibus quam longissime solebant fugere na-
30 vigantes, præsertim qui Indias Orientales petebant, necdum animum obfirmarunt; licet superioribus annis varii canales inventi fuerint, qui transitum navibus præbent, sed non sine discrimine & summa cum cautelâ. Nam non tantum juxta oras Continentis, mare satis altum depræhensum fuit, verum etiam per medios scopulos penetratum, sex septemve leucis à Continente, ubi quatuor exiguæ insulæ conspiciuntur, quas Lusitani appellant, *Monte de Piedras*, *Ilha Seca*, *Ilha dos Passeros* & *Ilha de Meo*; harum duæ sunt exteriores *Ilha Seca* & *Monte de Piedras* sub quarum occidentali latere navigabilis alveus sese aperit: Interiores autem *Ilha dos Passeros* & *de Meo* ab utroque latere si paulum diligentius circumspicias sine discrimine raduntur. Hi scopuli ubi
40 fluctus implevit, mari pene æquales aut leviter suffusi conspiciuntur; æstu vero relabente extant summis verticibus, interdum minus periculosi quia fluctus scopulis illi & repercussi propius accedentes periculi satis mature admonent, & extra hos undiquaque satis altum est mare.

Abrolhos.

Porro nostrates qui superioribus annis hic adnavigarunt & in Continentem exscenderunt, quæ inter præfecturam *Spiritus Sancti* & hanc de qua agimus interjacet, negant ullos barbaros à se hic visos, sed vastas solitudines & sylvas pene invias, amnesque frequentes & imprimis pisciferos.

Denique *Iarricus* in sua Thesaurò de hac Præfectura ita scribit. Quinquaginta à *Bahia* (quam vocant *de todos los Santos*) ad Austrum, & xx ab *Ilheos* distat leucis, ad
50 oram maritimam sita. Hic itidem Sociorum domus est, in qua sex ad summum commorantur. Pueri docentur hic legere & scribere: Undecim circumcirca sunt barbarorum pagi, quos Socii Dei verbum disseminaturi oberrant. Idem testatur *Portus Securi* oppidum superioribus annis *Guaymurum* barbarorum (de quibus ante quoque egimus) impetum & violentiam imprimis esse expertum: ita enim (inquit) destruxerunt ut vix viceni hic hodie incolæ numerentur, qui quod quotidiano barbarorum infestentur incursum, vix se sustentare queunt, ut sæpe herbis, radicibusque vivere præ commeatus inopia &

agrorum solitudine cogantur. *S. Amari* autem oppidum Lusitani compulsi sunt deserre, simul & quinas molas saccharo parando constructas, è quibus non exiguum trahebant compendium; metuentes ne tandem etiam à barbaris devorarentur, qui jam servos omnes atque operas domesticas illorum devoraverant.

C A P. XXI.

Quinta Brasilia Præfectura, quam Portugalli vulgo nominant Ilheos.

QUINTA Brasiliæ Præfectura sive *Capitania*, à Portugallis vocatur *dos Ilheos* ab Insulis quæ faucibus sinus objacent, ad quem præcipuum hujus Præfecturæ municipium est conditum: distat autem triginta leucarum intervallo à Portu securo versus Aquilonem, & totidem fere à *Bahia* seu sinu omnium Sanctorum, versus Austrum: ab Æquatore denique (ut testatur *Herrera*) quindecim gradibus & quadraginta scrupulis; vel ut nauticæ tabulæ produnt, quinque & quadraginta scrupulis, levi discrimine.

Colonia hæc constat circiter ducentis Lusitanicis familiis; præterlabitur municipium mediocris amnis, habetque octo molas Saccharo parando comparatas. Alii testantur exiguum esse oppidulum, & non supra centum & quinquaginta domicilia numerare, tantumque tres habere ejusmodi molas; oppidanos autem potissimum agriculturæ dare operam, & fruges suas minoribus navigiis ad *Pernambucum* & alias vicinas præfecturas subvehere; & Dominum agnoscere *Lucam Giraldu* Portugallum.

In Mediterraneis septem ab hoc oppido leucis, lacus jacet aquæ potabilis, tres circiter leucas longus, totidemque latus, & supra quindecim orgyas altus, è quo amnis exit, sed per fauces adeo angustas, ut vix minoribus cymbis aditum præbeant, vento tamen vehementius incumbente, ita exæstuat hic lacus, ut fluctus haud secus quam in alto mari attollantur; imprimis autem est piscosus, variosque & optimos nutrit pisces, præsertim *Manatos*, tantæ interdum molis, ut quadraginta *Arobas* (pondus est Hispanicum, viginti octo ad minimum libras nostrates appendens) pendere dicantur, immane pondus & vix credibile: *Crocodylos* insuper & immanes illos pisces, quos *Tuberones* vocant Hispani, aliosque quamplurimos.

In hac Præfectura etiam reperiuntur arbores quæ leviter vulneratæ odoratissimum balsamum, & singulari virtute pollens exsulant.

Antonius autem *Herrera* refert in Regionem huic Præfecturæ vicinam, nuperri-
me advenisse barbaros, è propriis sedibus ab hostibus suis expulsos, immanibus corporibus instar gigantum, candidiori quam cæteri sint barbari colore; gentem vagam & quæ nulla domicilia habeat, sed passim in sylvis atque campis, instar ferarum humi projecta cubet: validi ipsis arcus & grandes sagittæ, quibus maximam cladem non modo indigenis, sed & Lusitanis inferunt: crudelissimi sunt *Anthropophagi*: Catervatim aut aperto Marte numquam, sæpe sparsim & ex insidiis in incautos erumpunt, ideoque & difficulter vitari, & non nisi cum summo discrimine indagari possunt.

Sed jam *Iarricum* audiamus: *Ilheos* (inquit) Lusitanorum præfectura, xxx ad meridiem à *Bahia* distat leucis, in ora maris sita: è piorum Eleemosynis sociis hic domus fundata, in qua ut plurimum sex septemve commorantur: præter solita exercitia hic ludū aperuere, in quo & legere & scribere docetur juvenus. Haud procul ab hac Præfectura *Aimuri* sive *Guajmuri* commorantur: quibus nullos in universa Brasilia immaniores esse tradunt: proprios enim membratim manducare dicuntur liberos & aperto prægnantium utero fætus educere & coram devorare. Homines ut nos feras venando captant, quos deinde mactatos devorant. Ab his præfectura *Ilheensis* in solo constructa fertilissimo penitus propemodum eversa fuit: quin & alii agri feracissimi frugibusque ferendis maximè accomodi, deserti, quod qui eosdem colerent præ *Aymurorum* metu nullus superesset. Sed literis (inquit) anni *1671* traditum est, illos ex quo *S. Georgii* reliquias Roma ante sexennium à R. P. Generali Societatis Iesu acceperunt, *Aimuriis* hanc coloniam semper infestantibus, in conflictibus prævaluisse; nulli ut in posterum Lusitani desiderentur, & Brasiliæ socii quam paucissimi, quod meritis atque suffragiis gloriosi athletæ *Georgii* adscriptum fuit.

C A P. XXII.

*Sexta Brasilia præfectura Bahía sive sinus omnium Sanctorum;
Ipsius sinus accurata descriptio; & memorabile
facinus Petri Heynii nostri.*

SEXTA Brasiliæ Præfectura *Bahía de todos los Santos*, id est, sinus omnium Sanctorum nominatur, triginta leucarum intervallo ab *Ilheensi* præfectura, versus Arctum, centum autem à *Pernambuco* oppido versus Austrum distans: ad altitudinem tredecim graduum ultra Æquatorem versus Antarcticum polum. Nomen accepit ab amplissimo sinu, quem Oceanus in Continentem irrumpens hinc facit; circiter duas leucas & semissem latum, & duodecim, nonnullibi & octodecim orgyas altum, magnis parvisque refertum insulis, amœnissimis & gossypii feracissimis: Est enim hic sinus in multos recessus atque alveos veluti diuisus, insinuatque se ultra quatuordecim leucas in Continentem, magno accolarum usu atque emolumento. Tres modici amnes (ut minores taceam) ex interiori regione elabentes in illum egrediuntur, quorum primus principali oppido vicinior *Pitange*, proximus *Geresepe*, tertius autem *Gachoeira* appellatur.

Extima & maxima insularum vulgo nominatur *Taperica*, interiores quoque & minores sua singulæ nomina à Lusitanis meruerunt, uti statim dicitur. Operæ enim pretium fuerit sinum hunc imprimis nobilem paulo accuratius, prout à nostris fuit observatus & delineatus describere. Sinus itaque hic patet versus Austrum, & penetrat ad arctum, ad dextram ingredientibus habet Continentem Brasiliæ, ad sinistram insulam oblongam *Tapericam*; inter utrumque primo latus est supra tres leucas; atque hic ad dexteram habet obtusum terræ cornu, juxta quod sita est arx *S. Antonii* & *Villa Veya*, ut vocant, ad exiguum recessum; qui ad arctum clauditur promontorio, à quo ora se subducit versus ortum, facitque semicircularem recessum, ad quem oppidum *S. Salvatoris* jacet, de quo mox; hic versus arctum terminatur angusta terræ veluti lingua, quæ hic in acutum angulum prominet in sinum, ubi arx *Tapesipe* visitur, atque hic brevissimus trajectus est ad Insulam *Tapericam*, non tamen minor duobus leucis; ab hoc acuto angulo ora rursus recedit versus ortum, sinusque dilatatur & irrumpit in Continentem moliens mediterraneum quoddam fretum, quod post angustas satis fauces intus se dilatat in duo veluti brachia; ab hujus faucibus pergit rursus ora versus Arctum usque ad ostium fluminis *Pitanges*, cujus fauces angustæ sensim dilatantur versus ortum, & plures minores amnes in illud confluunt; ad ripas horum amnium, quemadmodum & ad principalem alveum, plures jacent molæ Saccharo molendo comparatæ; hujus fluminis fauces egressis rursus pergit ora versus Arctum pene ad leucam unam, & tum cubito flectitur versus Occasum, faciens ad ipsum flexum semicircularem recessum, cui exigua insula in jacet & ipsa culta: pergit deinceps ora recta ad occidentem circiter duabus leucis, ad obtusum terræ angulum; intermedio autem spacio objacet insula, quam vocant de *Marre*, circiter leucam longa, & in longitudinem, quoque ostio *Pitanges* fluminis obversa, freto intermedio dimidiam leucam lato: ibidem & è Continente minor quidam amnis exit, pene è regione arctoi hujus insulæ de *Marre* anguli. Extremo autem hujus oræ, qua ad occasum pertinet, angulo objacet altera insula, triangulari forma, & basi sua Continenti obversa, quam video à nostris Monachorum insulam appellari. Ab hoc angulo recedit rursus ora versus Arctum habens è regione seu recta versus occasum, ostium fluvii de *Cachoera*, intervallo duarum & paulo amplius leucarum. Porro hæc ora quæ ab obtuso illo angulo, jacet inter Austrum & Arctum, secatur à duobus amniculis, habetque objectas quatuor minores insulas angusto freto à continente divisas, quarum prior quæ ipsi angulo adjacet appellatur *Burapebara*, huic vicina *Porto Madero*, reliquarum nomina ignoro: à postrema autem; quæ oblongior amniculi cujusdam ori objacet, Continentis ora cubito reflectitur in occidentem, atque ipsi cornui objecta est insula modica, quam vocant de *Fontes*; pergit deinceps ora versus Arctum, & brevi spatio emittit in sinum, amnem modicum, quem vocant

Rio Tambaria; & post varios fluxus atque refluxus, ducit ad ostium fluminis *Geresipes* sive intimum magni sinus gremium; Id flumen descendit ab Arcto, plures minores amnes dextra levaque in se recipiens, ori autem illius objacent duæ minores insulæ, (nam tertia ipsi ori veluti injacet illudque veluti in duas fauces dispescit): quæ ori propior est vocatur Insula *Pycca*, exterior *Caraibe*: sed antequam cætera prosequor non possum committere quin hic obiter recenseam memorabile facinus *Petri Petride Heynii*, viri immortalis memoria dignissimi, quod hic gestum fuit ad hunc modum.

Petrus Petrides Heynius, auspiciis D. D. Ordinum Generalium, Confæderati Belgii Societatis Indiæ Occidentalis Ammiralius, Anno cDcLxxvii mense Martio, sinum Omnium Sanctorum invehens; deprehendit ante oppidum *S. Salvadoris*, pene 10 sub ipsis castellis quæ portui undiquaque imminet, hostiles naves viginti & sex, quarum quatuor pluribus tormētis bellicis, & copioso milite præter navales socios erant instructæ, quæ reliquis duabus & viginti veluti pro vallo erant præpositæ. Præfectus oppidi *Didacus Olyverius* ad hæc duas supra quadraginta machinas majores variis locis collocaverat, ut hanc classem à nostrorum impetu tueretur. Noster tamen nihil horum metuens, & vento quoque qui à terra accedebat adverstante, velificando tantum profecit, ut cum sua tantum navi (nam reliquæ nostræ naves non potuerant ipsum sequi neque prope accedere) se medium inter Ammiraliam & Vice Ammiraliam hostilis classis ingereret, atque ibidem anchoras dmitteret; hinc acre certamen & valde impar exortum, hostilibus non tantum navibus, sed & arcibus, atque 20 aliis machinis in littore dispositis, ab omnibus partibus illum unum impetentibus, nec non sclopetariis undiquaque valide in illius milites ejaculantibus; superavit tamen viri fortissimi fortuna, fuitque is successus, ut navis Vice-Ammiralia hostium post dimidiæ horæ certamen multis ictibus conquassata demergeretur, omnesque illius propugnatores quatuor tantum aut quinque exceptis, caderent: & reliquæ naves sese dederent vita salva; advenerunt interim à reliquis nostris navibus plurimæ cymbæ, militibus & navalibus fociis plenæ; qui ingenti animo, in conspectu hostium omnes hostiles naves deduxerunt, tribus tantum minoribus exceptis, quæ vacuæ erant. Hinc noster suam quoque navem subducere conatus, æstu relabente hæsit vado; neque ab 30 eo absolvi potuit, plurimis ictibus ita conquassata, ut dehisceret; quare illam machinis prius corruptis, reliquit & vulcano tradidit. Postero die omnes hostiles naves iustrans, in quatuor earum, quæ capacissimæ & opportuniore videbantur, reliquarum onera transposuit atque in Belgium nostrum ablegavit; aliis itidem quatuor classem suam auxit; reliquis quæ ipsi inutiles erant vulcano abdicatis. Postquam autem viginti quatuor diebus in sinu substitisset; classem promovit versus flumen Januarii, Promontorium frigidum, & præfecturam Spiritus sancti, & aquatione atque lignatione ex voto perfecta, & navi una Saccharo onusta in itinere intercepta, secundo cum quatuor majoribus & totidem minoribus navibus rediit in sinum hunc, decimo mensis Junii; quumque hic tantum octo vacuas naves, juxta ipsum littus sub urbe in anchoris stantes deprehendisset, neque operæ precium putaret illarum causa suas peri- 40 clitari, pone cornu *Tapesipes* classem suam stitit, ibidemque duas naves in anchoris constitutas nullo negotio cepit, & deductis iis quæ usui esse poterant, flammis consumpsit. Dum hic hæret, cognovit è captivis aliquot Lusitanis quatuor naves Saccharo onustas, se in amne aliquo vicino abscondisse, quem tamen ipsi ignorarent, quare hæc indagare certus, statim cum classe promovit ad Insulam *de Marec*, & cum duabus liburnicis, & pluribus cymbis, amnem qui è regione arctoi hujus Insulæ lateris è Continenti descendit, ascendere aggreditur & tria quatuorve milliaria subvectus, duas naves conspexit quæ in angustum alveum, inter imminentes utrimque arbores se subduxerant; itaque fluvio haud ultra liburnicarum patiente, cum majoribus cymbis eo contendit: una earum nostros conspicata adverso flumine profugit, alte- 50 ram statim cepit: & quantocius altius subvectus cæteras quoque eminus conspexit, sed die jam inclinante, & locorum & hostilium virium haud satis gnarus, ea vespera ad illas contendere distulit, eoque ad classem suam sub Insula se recepit. Postero autem die sub meridiem, cum cymbis suis ostium fluminis subjens, à pluribus Lusitanis qui in domo ad ripas latebant, aliquot sclopetorum ictibus nequicquam petitus promovit ad naves hostiles, quas vectores remulco omnibus viribus flumen subducere conaban-

conabantur, æstu, qui accedebat, conatibus illorum favente, frustra tamen: nam post acre certamen, aliæ post alias in nostrorum venerunt potestatem cum nongentis cistis Sacchari, plurimo Tabacco & aliis mercibus. Proxima cura fuit naves captas cum oneribus deducere, in quo parum admodum ea vespera promotum, quia naves æstu relapso vadis hærebant; Majus initio certamen cum vadis & brevibus fuit quam cum hostibus, nam æstu perneciter relabente, arenæ constipabantur, quæ victis pariter atque victricibus navibus descensum impediabant; neque præfecti industria & diligentia tantum proficiebatur, ut hostiles naves cum oneribus deduci possent: postero vero die majus discrimen fuit, nam dum nostri in superiore parte fluminis res gerunt, hostes ostium fluminis demerso navigio obstruxerant; quod uti facilius nostri amolirentur, comminiscitur præfectus, lyburnicam & cimbas tergoribus bovilis, (quæ plurima in hoc fluvio hosti eripuerant), ad latera, quæ hostibus, exposita erant, obtegere & præmunire. Præfectus & plerique militares tribuni Lusitanici, juxta ostium fluminis tumultuario opere vallum jecerant, & copias omnes eo adduxerant, futurum rati, ut nullo pene negotio nostros interciperent, & cæderent: verum noster qua industria, qua virtute tantum profecit, ut non modo omnes suos inde incolumes educeret, sed & navem de hostibus captam & opima admodum spolia ad classem suam reportaret: hæsit denique in eodem sinu & in conspectu urbis ad decimum quartum Julii; & velis explicatis applicuit in Belgio vigesimo quinto mensis

20 Octobris.

Sed jam revertor ad sinus descriptionem: A fluvio *Geresipe*, flectitur ora cubito versus Austrum, ibidemq; primo amnem, qui ostio suo circumgyrat insulam amnicam, & aliquot minutas insulas habet objectas, deinde pergens eodem ductu, pene trium leucarum spacio, producit se ad ostium fluvii *de Cachoera*, qui parulo ore in sinum egrediens, longe patentiorem interius habet alveum instar freti, in quo & insulæ aliquot sunt sparsæ; ad oras autem illius plures visuntur molæ Saccharo conficiendo comparatæ, divaricat enim se in plures recessus, qui singuli aliquot minores amnes recipiunt; è regione autem ostii jacet insula *Meve*: denique producit se ora versus Austrum, variis sinibus lancinata, & à minoribus amnibus divisa, habens versus

30 ortum oblongam illam insulam *Tapericen*, à qua lato satis freto dividitur; atque ita obviamus famosissimum hunc sinum omnium Sanctorum. Nunc de oppido agendum.

C A P. XXIII.

Urbis S. Salvatoris descriptio & locorum adjacentium. Itemque Seregippe.

PRINCIPALIS hujus præfecturæ Urbs *S. Salvatoris* nomine insignitur, ad Aquilonarem hujus sinus plagam, juxta semicircularem recessum, supra collem modice editum, ante aliquot annos ædificata (nam ante alio loco fuit, qui adhuc hodie veteris urbis nomen servat, vulgo *Villa Veja*, haud longe ab arce *S. Antonii*) à *Thoma de soufa*; muro cincta & templis, aliisque præclaris ædificiis ornata. Aliquot præterea castella ad hujus urbis & portus securitatem in propinquo excitata; quorum unum quod ipsis faucibus hujus sinus imminet *S. Antonii* arx appellatur: alterum vero sub ipso oppido *S. Philippi*: tertium denique quod longe maximum & munitissimum, supra oppidum in Promontorii cujusdam veluti flexu nuncupant *Tapesipe*.

Alterum hujus præfecturæ oppidum vocatur *Paripe*, distat ab oppido *S. Salvatoris* quatuor leucis intra Continentem.

Nulla Brasiliæ Præfectura hac populosior aut opulentior: pertinent enim ad illam circiter quadraginta molæ Saccharo conficiendo aptæ, longè lateque in insulis atque recessibus, & ad ripas amnium qui in sinum exeunt, sitæ, & per totum ambitum ingentis hujus sinus sparsæ. Gossypium hic nascitur magna copia; & si fortuita annumerare licet, Ambarum, quod griseum vulgo vocant, persæpe hic colligitur: ut taceam immania cete haud raro huc accedere, & magno incolarum emolumento, in Insulæ *Taperices* littore à fluctibus destitui. Habent autem (ut testatur *Iaricus*) Patres societatis in oppido *S. Salvatoris* collegium, imprimis magnificentum, in quo seni sunt

sunt Rectores ac Magistri; quorum primus Scholasticam Theologiam, alter moralem profiteretur: tertius proponit Philosophiæ circulum; duo insuper docent latinas literas, postremus denique pueros artem legendi atque scribendi. Huic Collegio concredita est trium vicorum Brasiliensium, haud procul ab urbe sitorum cura. Patres autem in anniversariis suis litteris testantur, in Collegio hoc & vicinis locis Socios versari octuaginta, quorum industriæ incrementum hujus Præfecturæ, & gratiæ atque authoritati qua apud indigenas pollent, ejusdem conservationem deberi, putant. Nam quum anno cIo Io LXXXV III Anglicanæ naves in hunc sinum delatæ, exscensionem in terram conarentur facere, locum aliquem vicinum (*Iarrici* sunt verba) vel ipsam etiam urbem si possent, occupaturi: *Christophorus Goveanus* collegiorum atque domorum Societatis per totam Brasiliam visitator, viso quàm exiguæ Anglo depellendo Lusitanorum forent vires, patres qui in Brasiliensium vicis habitabant, periculi præsentis reddidit certiores, edixitque, ut subditos ad auxilium ferendum adhortarentur: dictum factum; magna quippe incolarum manus arcibus atque sagittis instructa ad locum destinatum properat hostem à littore propulsura. Et sane animantibus Patribus tam strenue rem gessere, ut Angli sæpius exscensione tentata, semper à Brasiliensibus repulsi tandem re infecta discesserint.

Referunt quoque in litteris suis Patres, Lusitanum quendam *Cacoheira* Dominum (hic fluvius descendit in sinum circiter duodecim ab oppido *S. Salvadoris* leucis) vicinos *Guaymures* ita sensim pellexisse, ut mansuetiores jam facti, sociorum opera quamplurimi Christianis sacris fuerint initiati: quod quum gubernatori esset relatum; consultum existimavit, barbaros ad insulam *Tapericam* traducere, ut melius in officio possent contineri: verum hæc migratio admodum infeliciter ipsis cessit, nam maxima illorum pars variis morbis extincta interiit; licet enim hæc insula satis ampla sit & fecunda, optimumque producat Tabacum, ad hæc multa pascat armenta, tamen cœli vitio laborat, & valetudine incolarum habetur infamis.

Sed ad urbem *S. Salvadoris* regrediamur: Ea ut ante diximus sita est in colle edito & qua sinum despicit prærupto clivo & densis vepribus & fruticibus pene invio, ita ut tantum aliquot angustis callibus ascendatur: duæ illi sunt portæ, una ad Australé, altera ad septentrionalem urbis plagam, cum suis suburbiis: ad collis radicem in ipsa sinus ora, multa jacent ædificia & apothecæ: hic anno cIo Io CXXIII Portugalli nostrorum adventum metuentes, propugnaculum triangulare ex vivo saxo super petram in ipsis fluctibus excitaverant, ut exscensionem prohiberent, & naves in anchoris stantes tutarentur, hostilesque allabentes conquassarent. In ipsa urbe multa ædificia publica satis magnifica, inter quæ eminent monasterium *S. Francisci* in quo Patres Societatis suam habent Collegium; haud procul inde novum templum à fundamentis extrui cœperat, quum urbs à nostris caperetur. Licet autem urbs partim muro, partim vallo, undique cincta sit, tamen ne sic quidem satis munita judicatur, ob montes imminentes qui solum illius longe superant.

In hac urbe agunt gubernator regius hujus Præfecturæ; itemque Episcopus; & Auditor generalis totius provinciæ Brasiliensis, aliique regii ministri.

Hæc urbs anno cIo Io CXXIV mense Majo, à Classe societatis Indicæ Occidentalis feliciter fuit expugnata; præerat Classi Ammiralii nomine *Jacobus Willekens*; Vice-Ammiralii *Petrus Petrides Heynius*, militariibus autem copiis Dominus à *Dorth*; qui nondum ipse advenerat quum urbs caperetur, & paulo post dum incautus in vicinam sylvam egreditur à barbaris fuit cæsus: Eadem autem anno cIo Io CXXV sub finem Aprilis, ab Hispanis fuit recepta, partim Præfecti militaris ignavia, partim quorundam tribunorum & militum perfidia, utrorumque non levi infamia: sed hæc historiæ nostri temporis prolixius prosequentur, mihi sufficit hoc ulcus attigisse.

Inter Bahiæ præfecturam, & Pernambucensem jacet *Seregippe del Rey*, ut vocant, (quæ ab *Olyveira* inter Capitania numeratur) exiguum oppidum, in Mediterraneis situm, aditur per modicum amnem & non supra tredecim palmos in æstuario altum, quum æstus vel maxime impleverit. distat à flumine Regali undecim leucis versus Arctum & à flumine *S. Francisci* septem versus Austrum: plurima hic pascuntur armenta: & sunt, qui in Mediterraneis argenti venas repertas scribant. Nullum hæcenus vidi præter *Olyveiram* qui *Seregippen* Capitaniis annumeraret, itaque extra numerum ponere censui.

C A P. XXIV.

Præfectura sexta Brasiliæ quæ dicitur Pernambuco.

SEPTIMA Brasiliæ præfectura sive Capitania, vulgo dicitur *Pernambuco*, vel ut Galli & nostrates efferunt *Fernambuco*; distat autem à prædicta *Bayensi* præfectura centum leucis versus Aquilonem, & quinque à *Tamaracensi* versus Austrum: de oppidorum distantis hæc intelligenda, nam Præfecturarum fines junguntur; quos paulo accuratius explicare conabimur.

- 10 *Nicolaus d'Olyveira* Portugallus de hac ita scribit: Capitaniæ *Pernambucensis* Dominus est *Eduardus Albuquerque*; ea latissime patet, nimirum ab urbe *Olinda* versus Austrum leucas circiter XL ad flumen usque *S. Francisci*, juxta quod superioribus annis argenti fodinam inventam volunt, quam tamen Rex egeri vetaverit: ab hoc flumine versus Arctum sita est *Alagoa*, ubi duo amnes in Oceanum exeunt; hic quinque aut
 20 sex machinæ saccharariæ structæ sunt, quæ quotannis parum Sacchari conficiunt; huic ad eandem plagam proximus est *Portus Calvus*, juxta quem sunt septem aut octo machinæ: & juxta hunc versus Arctum pagus *Vna*, cum quatuor aut quinque machinis; & porro *Serinhan* amplissimus & amoenissimus pagus, juxta quem duodecim machinæ structæ, quarum singulæ, ut plurimum sex aut septem millia arobarum Sacchari
 30 conficiunt; (arobæ autem singulæ pendunt XXV II aut XXV III libras nostrates) deinceps *Poyucar* pagus, incolis frequentissimus, ubi sunt tredecim aut quatuordecim machinæ, quæ magnam copiam Sacchari quotannis edunt: situs est ad amnem ejusdem nominis qui paulo supra Promontorium *S. Augustini* exit. Secundum Promontorium hoc jacet pagus *S. Antonii do Cabo*, in cujus districtu circiter viginti machinæ structæ, quæ plurimum & optimum Saccharum reddunt. Infra dictum Promontorium sita est Ecclesiola *Nossa Senhora de la Candelaria*, à qua semita pertinet ad campestria, quæ *Cucuranas* vocant, in quibus magnus numerus armentorum pascitur; ab his ad urbem *Olindam* sunt quinque leucæ, quibus viginti duæ machinæ comprehenduntur. Ab eadem urbe versus Mediterranea novem aut decem leucis, jacet *Amattado Brasil*, frequentissimus pagus, ubi magna vis ligni Brasiliæ cæditur, quæ deducitur ad pagum *S. Laurentii*, ubi sunt septem aut octo machinæ, quæ plurimum præstantissimi Sacchari conficiunt; denique limites hujus Præfecturæ versus Arctum se extendunt ad Insulam *Tamaracam* leucis quinque. Hæc ille. Eadem paulo accuratius à nostratibus observata.

- A flumine *S. Francisci*, quod distat XL leucas ab *Olinda*, numerant quinque leucas ad tenuem amnem & haud supra septem palmos in ostio altum, qui vocatur *Coreripe* hic tantum unus aut alter degit Portugallus, plures indigenæ in pago qui distat à mari quinque aut sex milliaria, hic tantum lignum illud Brasiliæ magna copia cæditur. Ab hoc sunt duæ leucæ ad fluvium *S. Michaëlis*, hic & lignum illud cæditur &
 40 Sacchari cannæ coluntur. Ab hoc ad *Alagoam* numerant tres leucas; est autem *Alagoa* lacus Mediterraneus distans ab Oceano septem aut octo milliaria, in cujus ambitu plurimum *Farinha*, ut vocant Portugalli, quo pro farre utuntur, in his provinciis conficitur; aditur per amnem satis difficilem ascensu. Ab ostio hujus amnis ad fluvium *S. Antonii*, leucæ septem, à *S. Antonio* ad *Camaragiben* duæ; amnis est modicus nec supra septem aut octo pedes altus, circiter tribus leucis intra continentem habet duas machinas, pene milliari à ripa fluvii: à *Camaragibe* ad *Porto Calvo* tres leucæ: amplius est fluvius, verum haud supra septem aut octo palmos in ostio altus: à *Porto Calvo* ad *Barram grandem* quatuor leucæ; insignis sinus & anchoris figendis aptissimus, aditur tam ab Arcto quam ab Austro; sed ab Arcto à minoribus tantum navigiis; hic plurimum
 50 Tabacci colitur, solum enim planum & campestre est sine arboribus. A *Barra* hac ad *Vnam* tres leucæ: ab *Vna* ad fluvium qui vulgo appellatur *Rio Formoso* quatuor leucæ; hic fluvius satis altus judicatur ad modicas onerarias accipiendas. Ab hoc ad *Serinhan* duæ leucæ, hic amnis haud supra octo aut novem palmos est altus; objacet ostio illius dimidiæ leucæ intervallo Insula *S. Alexii*, potabilis aquæ inops. A *Serinhan* ad *Marcaipen* amnem duæ leucæ: hic tantum quinque aut sex altus est palmos. A *Marcaripe* ad *Poyucam* quatuor leucæ: à *Poyuca* porro ad Promontorium *S. Augustini* circiter

citer una leuca; in cuius portum exit amnis *Morekipe*; portus autem hic facilis quidem aditu, sed egressu perdifficilis ob petras & vada quæ ori illius utrimq; imminet; nunc quoque postquam nostri *Olinda* sunt potiti exiguo castello præmunitus. Sequitur deinceps versus Arctum fluvius qui vulgo dicitur *Rio de Sangados*, septem aut octo palmos in ostio altus, distat quatuor leucis à pago, quem vulgo vocant *Reciffe*, de quo mox. Ab oppido autem *Olinda* versus Arctum primo occurrit amnis *Tapado* & mox *Rio Dolce* qui ambo æstivis mensibus oblimantur, deinceps *Pao Amorello*; à quo ad *Mariam Farinhan* numerant duas leucas; & ab hac ad amnem *Garafu* dimidiam; ubi limites hujus Præfecturæ desinere credo.

Antequam autem ad oppidorum descriptionem transeam, haud importunum fuerit hic quædam ex *Olyveira* & aliis attexere, quæ Regis Hispaniarum ærarium tangunt. Scribit *Olyveira*: In hisce provinciis Brasiliensibus plurimæ sunt machinæ quibus Saccharum conficitur, (Portugalli vocant *Ingenios*) ita ut ad solam urbem *Olyfiponensem* quotannis traducantur ad minimum viginti & sex millia cistarum, quarum singulæ pendunt ad minimum quindecim arrobas, quarum singulæ efficiunt xxxii arrates; id anno c1o1o cxxvii fuit observatum: quo eodem anno *Vianam* appulerunt supra quinque millia cistarum; ut de aliis Portugalliæ portibus nihil dicam, ad quos quoque magnum cistarum numerum appulisse certum est.

Accepi à Belga qui plures annos hic vixerat: in singulis machinis majoribus, ut plurimum requiri quindecim aut viginti Lusitanos & centum Nigritas: in mediocribus octo aut decem Lusitan. quinquaginta Nigritas; in minimis quinque sexve Lusitan. xx Nigritas. Quarum majores quotannis conficiant septem aut octo millia arrobarum Sacchari; mediæ quatuor aut quinque millia; minores tria. In universum autem in Capitaniis *Pernambucensi*, *Tamaracensi*, *Paraybana*, usque ad *Rio grande*, ut plurimum quotannis quadraginta millia cistarum confici: neque mirum, nam authorem habeo qui quinque supra centum ejusmodi machinas numerari affirmat in sola Præfectura *Pernambucensi*.

Porro de omni hoc Saccharo soluuntur Regi in Brasilia decimæ: in regno autem Portugalliæ simul ac appulerit quintæ: secundum *Olyveiram*. Alii hæc paulo aliter explicant: nimirum omnes omnino fruges, omne Saccharum, etiam armenta & cætera animalia in Brasilia Regi debere decimas; quas Rex publicanis quibusdam in singulos aut plures annos solet elocare; idque communiter in præfectura *Pernambucensi* (nam de hac mihi utcunque constat) sexaginta aut circiter millibus ducatorum: ab hisce decimis nulli immunes sunt præter Ecclesiasticos: Dominus autem particularis Capitaniæ percipit *Redezimos*, ut ipsi vocant, & communiter solet elocare sedecim millibus ducatorum in singulos annos. Cæterum Saccharum liberum est ab omni portorio aut vectigali in Brasilia, verum in Portugallia, solvit quintam partem precii, quo tum venit in Regno Portugalliæ: domini tamen novarum machinarum si ipsi Saccharum suum & suo periculo evehant è Brasilia, etiam in Regno liberi sunt à quintis ad decennium; quo elapso solvunt decimam, & altero decennio elapso, ut cæteri quintam. Lignum autem Brasilianum quod maxima copia infertur Europæ, Regis esse solebat aut eorum qui à Rege redimebant; tenebantur autem singulæ naves quæ è Brasilia solvunt certum pondus pro navium mole gratis portare in Portugalliam.

C A P. XXV.

De urbe Olinda, itemque de Garafu.

LICET hæc Præfectura tam late pateat, tamen tantum duo habet oppida *Olindam* & *Garafu*, quorum hoc vix oppidi nomen mereri potest. *Olinda* urbs celeberrima, & edito loco posita ad oram maris, plures habet intra ambitum suum colles, estque adeo anomalo situ, ut vix industria humana muniri possit; inter ædificia publica eminent collegium Societatis, loco acclivi & amoenissimo situm, à Rege *Sebastiano* fundatum, in quo, ut scribit *Iarricus*, ut plurimum viginti aut viginti quinque focii commorantur; id collegium ob eminentiam loci primum conspicitur ab iis qui ex alto allabuntur: docent hic moralem Theologiam, aut casus conscientie.

conscientiæ. itemque latinam linguam; nec non pueros legere & scribere. A collegio hoc dependet pagus quidam Brasiliensium in agro hujus oppidi situs, nongentorum & plurium forte incolarum, qui omnes Sacris Christianis sunt initiati. Juxta hoc collegium visitur cœnobium Capucinatorum; & ad oram pene maris Dominicanorum; & superiore urbis regione monasterium *S. Bento*, naturâ & opere munitum; præter monialium cœnobium quod vocant *Concepcion de nossa Sennora*; in quinque autem hisce monasteriis haud supra centum & triginta religiosi numerabantur: præter presbyteros pene sexaginta. Præcipuum Parochiale urbis templum *S. Salvatori* est dedicatum, alterum *S. Petro*: præter Ecclesiam Nosocomio pene junctam, quæ dicitur *Miserericordia* in medio pene urbis sita super editum collem, ad cujus radicem aliud templum visitur *Nossa Sennora del Emparo*; quibus accedunt *S. Ioannes*; *Nossa Sennora de Guadalupe*; itemque *Nostra Sennora de Monte* monti extra urbem superstructa: denique Ecclesiola *S. Amari* paululum extra urbem. Ita ut tam intra quam extra urbem Ecclesiæ numerentur octo.

Oppidanorum numerus ad duo millia censetur, qua marium, qua fœminarum & infantum, præter Ecclesiasticos, qui extra hunc numerum sunt; & magnus servitorum numerus. Nulla urbs Brasiliæ magis indiga est annonæ, & aliarum rerum ad vitam humanam necessariarum; ita ut ex aliis Brasiliæ præfecturis, atque ex insulis Canariis atque ipsa Lusitania pleraque subvehere sit necesse.

Portus hujus urbis haud satis capax est aut idoneus, sed rupium & vadorum veluti sepimento, (quod hic oram Brasiliæ multarum leucarum spacio obsidet) clausus, ita ut majores onerarias non nisi uno atque angusto ore admittat, & interius exiguo sinu, in quem amniculus è Continenti descendit, complectatur, una aut paulo amplius ab urbe leuca.

Portui adjacet vicus modicus aut potius suburbanum, ubi aliquot domicilia & apothecæ jacent, ad quas Saccharum & aliæ merces convehuntur: defenditur à castello in oblongo terræ collo structo, è regione ipsius ingressus in portum, quod facili negotio hostiles naves ab introitu potest arcere. Nihilo secus anno 1610 *Jacobus Lancastrius* Anglus, quum tribus tantum navibus & ducentis septuaginta quinque qua nautis qua militibus ex Anglia solvisset, & in ipso itinere classem suam tribus quatuorve navibus, quas Hispanis eripuerat, auxisset; & Vennerus alius Anglus, se ipsi cum aliis quatuor partim onerariis partim celocibus, adjunxisset; summa virtute portum subiit & castellum quod diximus, in quo tum septem tormenta ænea erant disposita & sexcenti propugnatores ab urbe missi excubabant, cepit primo impetu, Portugallis ad primum Anglorum conspectum turpi fuga sese proripientibus: Angli enim aut vincere aut mori certi, cymbas suas ultro rupibus illiserant, ne quid ipsis præsidii quam in victoria esset; *Lancastrius* ergo Castellum atque suburbani potens, in quo tum circiter centum domicilia numerabantur, & longe opulentissimæ prædæ compos (nam præter domesticas harum regionum merces, Saccharum, gossypium, lignumque Brasiliense, alia; hic tum forte fortuna onus ingentis Caracæ ex India Orientali redeuntis erat expositum) se adversus oppidanorum insultus, vallo per transversum ducto, & quinque machinis æneis dispositis communivit; angustum enim terræ veluti collum, mare fluviumque inter hinc procurrit; ubi æstus implevit, vix quadraginta passus latus, ita ut facile adversus oppidanos defendi possit. Atque ita unum & triginta dies hic commoratus, non tantum octo onerarias Anglicas pretiosissimis orientis mercibus explevit, sed & tres Hollandicas, quas in portu deprehensas mercede conduxit, & quatuor quoque Gallicas quæ postea advenerant, variis Brasiliensium mercibus onustas secum abduxit. Portugalli deinde alterum exiguum castellum in ipso mari super petras moliti è regione prioris illius, aditum ad portum per se difficilem, pene inaccessum hostibus reddiderunt.

Porro secus urbem descendit tenuis amnis & tantum minorum navigiorum vix patiens (vocant *Rio Bibiribi*) qui inter Continentem, & collum illud terræ, de quo supra, delapsus, ad insulam *Antonii Vaaz*, ut vocant, se conjungit cum altero amne, quem vocant *Rio Capesecia* sive *de Fidalgos*, (vel ut alii scribunt *Capibarivi*) is descendit è Continenti secus arctoum. Insulæ prædictæ latus; uti alter qui à Portugallis vocatur *Rio dos Afogados*, secus Australe ejusdem latus; uterque

autem brachio quodam supra Insulam junguntur, ita ut hæc insula ab hisce fluviis à continenti dirimatur.

Garasu potius pagus quam oppidum, distat ab Olinda quatuor aut quinque leucis, incolebatur olim à tenuioris fortunæ Lusitanis, qui fere mechanicis artibus victum quærun, aut ligno Brasiliensi conquirendo dant operam; sed postquam Belgæ nostri Olinda potiti sunt, plures etiam opulentiores ad hoc oppidum se receperunt; penetrant quoque ad mare per exiguum amnem, qui è regione Tamaracæ exit.

Hoc oppidum à nostratibus ex improviseo captum fuit Calendis Maiis anno 1610 cxxxii. Supra centum Lusitani cæsi, plures capti, & opima spolia detracta; bona pars oppidi incendio deformata; & magna copia commeatum, præsertim vini, corrupta, quæ hic in usum castrorum, quæ Lusitani haud longe ab Olinda posuerunt, servabantur.

Præterea novem aut decem milliariibus ab Olinda jacet pagus admodum frequens *Amatta do Brasil*, cujus incolæ potissimum ligno Brasiliensi cædendo dant operam, cujus maximam copiam deducunt ad mare. Itemque inter hunc & urbem alter pagus satis frequens, quem vocant *S. Laurenço*, in cujus agro septem aut octo sunt molæ, plurimum & optimum Saccharum conficientes.

Denique à *Cucurannis* de quibus supra diximus sunt quinque leucæ, & isto intervallo (licet longe lateque intra Continentem) numerantur duæ & viginti molæ; quæ sitæ sunt in *Guararapis*, *Moribara* atque *Camassarin*; maxima tamen parte in *Vergea*, ut vocant, de *Capivarivi*, quia ab hoc amne lambitur: regio illa omnium longe amœnissima est, sive campos vernantes spectes, sive fructiferas arbores, & alia vitæ humanæ commoda; nec supra duas leucas absunt à mari, ita ut Nigritæ & alia servitia peropportunè ad pisces capiendos possint excurrere. Superest ut breviter hic commemorem, quo pacto urbs Olinda & adjacentia loca à Belgis nostris fuerint capta, hodieque retineantur.

C A P. XXVI.

Quo pacto Olinda à Belgis fuerit capta; hodieque possideatur.

SOCIETAS Indiæ Occidentalis, auspiciis Illustr. D. D. Ordinum Generalium confœderati Belgii superioribus annis stabilita & anno 1610 cxxviii magnis opibus aucta, quas è spoliis Classis Hispanicæ, quæ è Nova Hispania redibat, collegerat; nihil magis desiderans, quam memorabili aliquo facinore, cladem ante in Brasilia ab Hispano acceptam ulcisci, & infamiam suorum ignavia & perfidia acceptam, delere; & res suas stabilire; animum denuo adjecit ad Brasiliam, & quæ difficillima, ea pulcherrima opinata, Pernambuco tentare constituit. Valida classis contra cta, quæ supra quinquaginta majoribus minoribusque navibus constabat, copioso belli apparatu, plurimis æneis machinis, & copioso milite atque navalibus sociis stipata. Classi Generalis nomine præpositus *Henricus Loncquius*, Ammiralii *Petrus Adrianus*, Vice-Ammiralii *Iustus Trappenus* alias *Bankardus*; universis militaribus copiis Colonelli nomine nobilissimus vir *Didericus Wardenburgius*.

Generalis *Loncquius* & Ammiralius solverunt è portu *Goereano* vigesimo septimo Junii anno 1610 cxxix cum octo navibus; quas eodem tempore plures ex aliis Hollandiæ atque Zelandiæ portibus sunt secutæ. Ipse cum octonis navibus mense Augusto Canarias insulas tenuit, atque hîc haud longe à *Teneriffe* casu incidit in classem Hispanicam, quæ circiter quadraginta navibus, maximam partem majoribus & bene armatis constabat, cuique Generalis nomine præerat *Fredericus Toletanus*: & licet numero navium longe impar esset noster, tamen certamen minime declinavit, cujus hic exitus fuit, ut hostilibus aliquot navibus valide conquassatis & non levi damno illato, ab hostili classe omitteretur, quæ cursum suum versus Insulas Caniblicas prosequeretur.

Hinc proventus iv Septembris adnavigavit Insulam *S. Vincentii*, Hesperidum unam, quas vulgo, à nomine Promontorii, cui longo licet intervallo obversantur, vocant *Islas de Cabo Verde*; Hic sensim se illi conjunxit reliqua classis & deniq; sub finem Novembris *Wardenburgius* cum reliquis copiis, qui vigesimo demum Octobris è

Texelia

Texelia solverat: ita ut Classis jam constaret quatuor & quinquaginta navibus tam majoribus quam minoribus, inter quas erant duæ in itinere hostibus ereptæ). & tredecim majoribus cymbis, quas vocant *Chaloupas*; recensiti septies mille ducenti & octuaginta viri, inter quos erant ter mille quingenti milites. Cum hisce copiis xxvi Decembris à *S. Vincentio* profecti, secundo demum Februarii anni c10 10 cxxx Continentem Brasiliæ adnavigarunt ad altitudinem septem graduum & quatuor scrupulorum Australium: & decimo tertio ejusdem mensis venerunt in conspectum Promontorii *S. Augustini*. Atque hic Concilio præcipuorum Tribunorum coacto, rationem iniverunt, urbis *Olinda* atque portus intercipiendi. Colo-
 10 nello *Wardenburgio* sedecim qua naves qua celoces attributæ cum c10 c10 c militibus, atque septingentis delectis nautis; cum quibus juxta *Pao Amorello* exscensionem faceret: Lonquius portum & castella quæ illi imminent cum reliqua classe, expugnanda sumfit.

Decimo quinto se moverunt, aura leniter afflante, & placido mari conatibus illorum favente: atque ita Lonquius, extimo castello allabens, machinis suis illud valide quassare cepit, exiguo aut nullo profectu, neque enim ictus, licet è propinquo, ob fluctuum agitationem certo destinari poterant: neque portum dabatur subire, uti destinatum erat, quia hostes aditum illius, aliquot navibus demeris obseperant; itaque sub vesperam paulum versus altum retrocesserunt, ne nequicquam damnum ab
 20 hostilibus machinis paterentur.

Wardenburgius interea loco designato copias exposuerat, nemine impediente, licet hostis se haud longe inde ostentaret: Vespera autem imminente, tantum acies ordinatæ; copiæque divisæ in tres partes, (præter turmam delectorum bombardariorum,) primæ aciei præfectus Vice-Colonellus *Eltzius*, in qua erant non-genta & triginta quatuor capita: mediæ Vice-Colonellus *Steyncalfelsius*, in qua erant mille quadraginta novem: postremæ Fulco Honcquius, in qua erant non-genta sexaginta quinque. Postero die summo mane castra mota; primaque acie præcedente cui Colonellus se adjunxerat, cum minoribus aliquot machinis in
 30 fronte, incessum secundum oram maris, cui à dextra vepretum imminebat; atque ita sine ullo certamine ventum fuit ad amnem *Rio Dolce*; ad cujus adversam oram octingenti aut paulo plures Lusitani se vallo communiverant: nostri tamen nihil morati, umbelico tenus amnem vadantes, primo impetu illos proturbant, levi tantum damno accepto & paucis desideratis: hinc non intermisso itinere, & hoste nusquam ob metum machinarum nostrarum consistere auso, perventum ad urbem; & captivo quodam viam commonstrante, omnium primo monasterium Jesuitarum, quod eminentissima urbis parte jacet, refractis foribus, captum; hostes autem qui in inferiore urbis parte, vallum quod littori adjacet (nam hac parte tantum munita erat urbs) defendebant, quum superiorem urbis partem captam cernerent, & hinc postremam aciem præpropere gradu in se ferri, inde alia duo vexilla quæ Generalis commo-
 40 dum ad alteram urbis partem exposuerat, adventare, in diversa fugerunt; atque ita nostri universa urbe sunt potiti: Præda pro fama urbis haud magni fuit momenti; nam Lusitani, pretiosissima quæque, licet præfectus Albuquerque id veterat, subduxerant, adventus nostrorum jam dudum gnari. Hæc decimo sexto Februarii gesta.

Postilla & Castella deditioe acceperunt, secundo Martii: & tertio ejusdem trajecerunt ad Insulam *Antonii VaaZii*, & insigne monasterium, ad angulum illius Arctoum situm, vacuum occuparunt. Hostis autem jam ante decimo septimo Februarii apothecas omnes in pago *Reciffio*, flammis corruerat, in quibus viginti quinque millia cistarum consumpta referunt. Breviter his defungor, quæ Historiæ plenius explicabunt. Nunc obiter adjungam, quo pacto loca hæc à nostris sint munita: (nam
 50 urbem nostris inutilem, ante corruptam, & maximâ parte prostratam superiore anno deferuimus.)

Munitiones quas nostri in districtu *Pernambucensi* possident, ad hunc modum se habent: universæ pene oræ Brasiliensi, qua Ortum aspicit, prætenduntur rupes continua pene serie, quæ ubi fluctus recessere, latitudine pene novem decempedarum, interdum & plurium, extant instar valli; & licet variis locis sint intercissæ, paucis tamè admittunt naves, angustioribus ostiis: juxta oppidum autem *Olindam* idem vallum videtur de-

finere in obtusum angulum, ubi jam olim à Lusitanis exigua arx è vivo saxo fuit edificata. Ab oppido vero *Olinda* descendit angusta terræ veluti ligula, ad cuius extremum jacet vicus *Reciff* vulgo; stringitur autem angustus hic trames (nam vix usquam latior est triginta aut quadraginta decempedis) ab occidente quidem fluvio *Bibirybe*, minus alto & multis vadis inquinato; ab oriente mari: Vicus ille quem dixi, olim apertus, nunc & vallo & palis est munitus. Ab hoc versus Arctum est oppidum, primo CLX decempedarum intervallo vetus Lusitanorum arx *S. Georgii*, novis operibus à nostris firmata; deinde circiter centum decempedarum intervallo, munimentum quod nostri à fundamentis substruxerunt, & *Bruynium* vocarunt, versus oppidum valido cornuto, ut vocant, opere præmunitum: è regione autem utriusque, ad angulum continentis, trans fluvium, ex adverso Insulæ *Antonii Vazii*, munimentum triquetrum, à *Wardenburgio* nomen sortitum. In ipsa porro Insula *Antonii Vazii*, pene ex adverso vici *Reciff*, struxerunt nostri circum monasterium munimentum *Ernesti*, cum cornuto suo opere, quod vergit versus Austrum: & vix centum viginti decempedarum intervallo, munimentum quinquangulare & longe munitissimum Invisi Principis *Frederici Henrici* nomini dicatum, cum valido item cornuto opere versus Austrum; denique aliud munimentum *Aemylia*: præter aliquot minores munitiones, quas vulgo vocant *Redoutes*, undiquaque adversus hostiles aditus præstructas: quibus omnibus operibus hic locus jam ita munitus est, ut vel maximo hostium exercitui par esse possit.

C A P. XXVIII.

Præfectura Tamaracensis, & ora maritima Brasiliæ ad hunc locum.

OCTAVA Brasiliæ Præfectura, & quidem, ut volunt, omnium antiquissima, est *Tamaracensis*, sed ob vicinitatem *Pernambucensis* & *Pareybanae* jam obscurior: nomen meruit ab Insula *Tamaraca*, vel *Tamarica*, quæ per angustum freto à Continente dividitur; patens in longitudinem quidem tres leucas, in latitudinem vero duas: *Popillinerius* Gallus in libro suo de tribus mundis, hanc regionem primo à Gallis suis tradit fuisse possessam, illisque postea à Portugallis vi ereptam; servat adhuc hodie Gallorum memoriam, & nomen vicini huic Insulæ portus, quem Lusitani appellant *Porto dos Franceses*; alioquin in obscuro est rei fama, nec ullis præterea historiis, quas quidem viderim, consignata.

Porro hæc Insula *Tamaraca* distat ab *Olinda* quinque milliaria; portum habet satis opportunum ad Australe latus, qui aditur per alveum quindecim aut sedecim palmos altum; cui imminet Portugallorum castellum in edito colle structum, & aditu perdifficile, à nostris superiori anno frustra tentatum; qui tamen ut Portugillos coërcerent, & portum hunc ipsis eriperent, munimentum quadratum hic excitarunt, quod *Auriacum* vocant, ad ipsum alvei hujus in Oceanum egressum, undique ob stagna & elyces ex insula elabentes inaccessum: quo facto jam hunc aditum Portugallis obstruxerunt: nam alterum ostium versus Arctum, quod vocant *Catwaina*, vix decem palmos est altum; ita ut tantum minora navigia admittat.

Insula hæc & districtus illius ad Continentem, peculium est Comitum *de Monsanto*, qui Olyssipone agit: percipit autem ab incolis quotannis tributi nomine, ut ferunt, bis mille quingentos aut tria millia ducatorum: In hac præfectura circiter duæ & viginti molæ Saccharo conficiendo aptæ dicuntur jacere: potissimum autem ad ripam fluminis *Goiana* sive *Govana*; itemque in *Aracipe*, & *Paratibe*.

Circiter leucam unam à *Tamaraca*, exit è Continenti amniculus *Massarandu*, ad cuius ripam mola sita est, ad quam cum modicis navibus ascendi potest: è regione autem ipsius Insulæ versus occasum exeunt duo amniculi *Aripe* & *Ambor*, uti à Lusitano horum locorum gnaro accepi, qui suam quoque habent molam.

Sex porro leucis à *Tamaraca* versus Arctum exit fluvius *Govana*, in ostio quidem tantum octo aut decem palmos altus, intra vero longe profundiori alveo; ad cuius ripas sex aut septem milliaria à mari tres quatuorve jacent molæ juxta exiguum

exiguum pagum, ad quem minoribus navigiis ascenditur, ad Saccharum deducendum.

Duobus denique miliaribus à *Gouane* versus Arctum jacet *Portus Francicus* de quo supra, qui à duobus scopulis veluti concluditur, pone quos statio est navibus satis opportuna, nulli autem mortales hic habitant præter unum atque alterum piscatorem. Atque ita jam absolvimus octo nominatissimas Brasiliæ præfecturas, quæ supersunt, proximo libro à nobis describentur; nunc oras hætenus compendio lustremus.

A *Britioga* septentrionali *S. Vincentiana* Præfecturæ portu, ad Insulam *S. Sebastiani* numerant octo aut decem leucas: ea insula sita est ad altitudinem xxiv graduum uti à nostratibus observatum fuit; nascitur juxta littora illius piscorum quoddam genus valde venenatum; cætera jam ante retulimus. Ab hac ad insulam porcorum quatuor leucæ. percommoda hic statio inter Insulam & continentem, ubi finis jacet *Vbatuba*. c. xvii.

Ab insula porcorum ad Insulam Grandem leucæ viii secundum *Figueredum*, plures secundum alios: Grandis edita est & nemorosa, interiora illius petris præacutis aspera: abundat fontibus; haberque aliquot portus aquandi & lignandi opportunitate insignes. I. grandis.

Duabus ab hac versus Occidentem leucis prominet Promontorium *Caroussa*; versus arctum vero jacet *Angra dos Reyes*, de qua supra. 20

Porro Insulæ Grandi adjacet ad ortum *Morembaya*, à qua ad *Garatubam* quatuor, à *Garatuba* ad *Toyuquam* totidem numerantur leucæ: uterque annis tantum minorum navigiorum est patiens.

A *Toyuqua* ad præcellum scopulum & in conum fastigiatum sed plano vertice, (vulgo vocant *Gaueam*) dux; à quo ad flumen *Januarii* sunt totidem; ita ut ab Insula Grandi distantia sit duodecim leucarum aut paulo plurium.

A flumine *Januarii*, ad Promontorium frigidum sunt octodecim leucæ, distat ab Æquatore tribus & viginti gradibus aut circiter, versus Austrum; hætenus pertinet ora ad orientem. C. frido.

A Promontorio frigido ad sinum *S. Salvatoris* novem leucæ; orae flectente ad Arctum: ab eodem ad Insulam *S. Annæ*, quæ continenti objacet, duabus leucis ab ea disjuncta: percommoda intermedio spatio est statio: insula ipsa amæna & arboribus undique vestita; inter quas sunt quæ fructus ferunt cerasis non absimiles, scabro nucleo, carne saporis non ingratis; sed dulcium aquarum hic inopia laboratur. Ab hac insula ad Promontorium *S. Thomæ* octo leucæ, duobus & viginti gradibus ab Æquatore versus Austrum. A Promontorio hoc ad fluvium *Paracivam* sunt octo leucæ. C. S. Thomæ.

A *Paraciva* ad *Managen* quinque leucæ; à *Manage* ad *Itapemerim*, totidem.

Nostris observant uno & viginti gradibus ab Æquatore flumen *Dulce*, quod à Portugallis accolitur: & decem insuper scrupulis Insulam *S. Claræ*, dimidio miliarium à Continente sitam, multis palmitis vestitam, & dulcium laticum haud expertem. R. dulce.

Porro ab *Itapemerim* ad *Glereteban* sunt quatuor aut quinque leucæ, viginti gradibus & xlv scrupulis ab Æquatore.

A *Gleretebe* ad *Guarraparen* septem leucæ; Lusitani vocant *Sierram de Guariparim*. A *Guarrapare* ad oppidum *Spiritus Sancti* octo leucæ.

A sinu hujus oppidi ad fluvium *Regum Magorum* sex leucæ: novemdecim gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore. Ab hoc ad alterum qui *Rio dulce* audit, octo leucæ: à *Rio dulce* ad *Criquaren* septem: A *Criquare* ad *Maranepen*, vel ut alii, *Mucuripen* decem, octodecim gradibus & quindecim scrupulis ab Æquatore. A *Maranepen* ad *Parawepen*, vel ut alii vocant, *Pertteripen* quinque. A *Parawepe* ad fluvium quem vocant *das Caravelas* tres, ab hoc ad *Barreiras Vermeilhas*, ut vocant, sex; ab illis ad *Corebabo* duæ; septendecim gradibus & semisse ab Æquatore. A *Corebabo* ad *Portum Securum* octodecim.

A *Portu Securo* ad *S. Crucem*, tres leucæ; hic applicuerunt Portugalli, quum hanc Continentem invenirent: à *S. Cruce* ad fluvium *Rio Grande* novem aut decem: intermedio spacio objacent in alto famosa illa vada, Lusitanis *Baixos de S. Antonio*: R. grande.

A *Rio Grande* ad *Ilheos* octodecim leucæ: intermedio spatio imminent littori editissimi montes, qui vulgo appellantur *Sierra de Aymures*.

Ab *Ilheos* ad fluvium *das Contas* octo aut novem leucæ: ab hoc ad *Camamu*, sex: à *Camamu* ad *Guepenam*, tres: à *Guepena* ad *Tinharen* fluvium quatuor: huic imminet altissimus mons qui vulgo appellatur *Morro de S. Pablo*: ab hoc ad sinum *Omnium Sanctorum*, duodecim leucæ.

A sinu omnium Sanctorum ad flumen *Regale* sex & viginti leucæ, undecim gradibus & triginta scrupulis ab *Æquatore*. à *Regali* ad flumen *S. Francisci* septemdecim leucæ; ab hoc ad Cornu terræ quod dicitur *Guira*, quindecim; inde ad rupes *Cameraguba*, sex: ab his ad fluvium *Petrarum* quinque: ab isto ad Promontorium to *S. Augustini*, duodecim; paulo accuratius hæc supra prosequuti sumus.

Circiter quinque milliariibus à dicto Promontorio versus Austrum objacet *Insula S. Alexii*, octo gradibus & quinque supra quadraginta scrupulis ab *Æquatore* versus Austrum; valde opportuna, quippe quæ & aquandi & lignandi copiam præbeat.

A promontorio *S. Augustini* ad *Pernambucum* octo leucæ: à *Pernambuco* ad *Tamaricam* quatuor aut quinque: A *Tamarica* ad *Paribam*, (de qua statim) leucæ quindecim.

DESCRIPTIO

